Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Petrus Musaeus Johann Gontkowski Stanisaw Johann Malczowski

Dissertatio De Capite Ecclesiae, Pontificiis, & nominatim Becano opposita,

Kilonii, 1674

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn786521848

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn786521848/phys_0001
DFG

82.

313.

Fa-1092 (82.)

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn786521848/phys_0002
DFG


Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn786521848/phys_0003
DFG

PETR
S. Theol. D
Primarii, a
Dispu
Theo
Perpetuo Respondent
fendit, sui
M. BARTHO
in
CHRISTIA
Ho

Ex Bibliotheca Academiae Rostochensis

Ki
Excudebat Joachim
AN

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn786521848/phys_0004
DFG

DISSERTATIO
DE
CAPITE ECCLESIAE,
Pontificiis, & nominatim Becano
oppositа,
PRÆSIDE
PETRO MUSÆO D.
RESPONDENTIBUS
JOHANNE GONTKOVVSKI
&
STANISLAO JOH. MALCZOVVSKI
Publico Examini ad duos dies subjecta.
Ad d. 17. & 18. Julij.

KILONIJ.
ANNO M DC LXXIV.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn786521848/phys_0005
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn786521848/phys_0006
DFG

DISSERTATIO

De

CAPITE ECCLESIÆ

CONTRA

PONTIFICIOS.

§. 1.

QVamvis abſurdiſſimis & intolerabilibus erroribus ſcateat Secta Pontificia; inconcuſſa tamen hactenus vel eò ſtetit, quòd plura illius dogmata partim ad ambitionem, partim ad avaritiam Clericorum explendam comparata ſunt. Cumprimis autem tria illius habentur fulcra; *Primatus Romani Pontificis*, *Indulgentiæ*, & *Celibatus Clericorum*, pro quibus tanquam pro aris & focis dimicant, non priùs ceſſuri, quàm ambitioni & avaritiæ penitus renuncient. Nobis hâc vice de Primatu Romani Pontificis, in quô velut fundamentô reliqua innituntur, diſſertationem ingredi viſum eſt.

§. 2. Non negant Pontificii, Chriſtum eſſe Caput eccleſiæ, quod Scriptura toties, & tam evidentibus teſtimoniis confirmat; Sed, cùm inviſibili modô Eccleſiam regat, diffundendo à ſe in omnia membra gratiam & ſpirituales vires, aliô viſibili capite opus eſſe dictitant, quod lites in

Ecclesiâ ortas decidat, atque Episcopos ac Presbyteros in officio contineat. Cui stabiliendæ sententiæ, tria Becanus probanda sibi sumit lib.1.Manual. sui c.4. 1. *Christum, cùm esset in hâc vitâ, fuisse visibile caput Ecclesiæ.* 2. *Post adscensionem Christi, Petrum fuisse ejus Vicarium in eâdem Ecclesiâ visibiliter gubernandâ.* 3. *Romanum Pontificem successorem Petri in eâdem gubernatione.*

§. 3. Arctissimo nexu hæc tria sibi invicem conjuncta sunt, adeò quidem, ut si primum destruas, etiam secundum; Si secundum, etiam tertium corruat. Nempe, si Christus in hâc vitâ non fuit visibile caput; utique in cœlos adscensurus non constituit, & reliquit ullum visibile caput, quod sui vices in Ecclesiâ visibiliter gubernandâ sustineat. Non, inquam, Petrum sui Vicarium in regimine visibili esse voluit, si ipse in hâc vitâ regimen visibile, quale fingunt Pontificii, non administravit. Quò fit, ut nec ullus Pontifex Romanus in regimine visibili successor Petri, eòque caput Ecclesiæ haberi possit.

§. 4. Primùm itaque Becanus in adstruendo visibili Christi capitis regimine occupatur; quò faciliùs tueri possit, Petrum ei in regimine visibili successisse. Non poterat autem Christus dici visibile caput Ecclesiæ, nisi, cùm in his terris ageret, Ecclesia jam tum fundata ac plantata fuerit. Idcircò prima Becani cura est, ut ostendat, Christum in hâc vitâ fundasse ac ædificasse Ecclesiam, quam post ipsius adscensionem auxerint Apostoli & propagarint. Vis Argumenti huc redit: *Quicumque omnes actus ad fundandam & ædificandam Ecclesiam necessarios exercuit, ut nihil amplius desiderari potuerit, is fundavit & ædificavit Ecclesiam. Atqui Christus in hâc vitâ existens, omnes actus*

ad

ad fundandam & ædificandam Ecclesiam necessarios exercuit. E. Minorem probat inductione & enumeratione omniũ hujusmodi actuum ; putà, quòd *ministerium, nova sacramenta, novum sacerdotium, novas leges Evangelicas, Novũ Testamentum* instituerit Christus in hâc vitâ, & omnia perfecerit & confirmaverit per mortem, in cruce dicens: *Consummatum est.* Præterea, quòd post resurrectionem in cœlos adscensurus dixit discipulis suis : *Accipite Spiritum Sanctum :* & Petro seorsum ; *Pasce oves meas.* Quibus omnibus in medium prolatis, concludit Becanus : *Quid amplius requiri poterat ad fundandam & ædificandam Ecclesiam?*

§. 5. Pluribus autem modis Becanus in hâc probatione impingit, & à scopo aberrat: primùm, quòd probaturus, Christum in hac mortali vitâ fundasse & ædificasse Ecclesiam, inter alia illud allegat, quòd ipse non in mortali vitâ, sed post resurrectionem fecit, cùm ad statum gloriæ esset evectus, & jam in cœlos adscensurus. Deinde, quòd quibus actibus fundabatur Ecclesia aliquo modo, iisdem etiam ædificatam esse putat ; cùm tamen ad ædificandam Ecclesiam plus requiratur, quàm ad jacienda illius fundamenta. Præterea, quòd falsa nonnulla probationi suæ immiscet. Sed videamus singulos actus, quibus à Christo fundata & ædificata dicitur Ecclesia.

§. 6. Primùm, urget Becanus, institutum à Christo in hâc vitâ Ministerium, & ita quidem institutum, ut *duodecim Apostoli essent Episcopi, sed Presbyteri septuaginta duo discipuli*, quod falsissimum. Habuit sanè Christus in hâc vitâ plurimos discipulos, ut videre est Joh. III. & Luc. VI. sed ex tam multis solos duodecim elegit, quos individuos haberet comites, & verbis factisque ad prædicandum olim

Evangelium, sibique testimonium perhibendum instrueret. Sicut ipse ad eos dicit Joh. XV. *Et vos testimonium perhibebitis; quia ipsi mecum estis.* Item Act. I. *Eritis mihi testes in Jerusalem, & in omni Judæâ, & Samariâ, & usque ad extremum terræ.* Verùm, quando Christus ita secum circumduxit duodecim, habuit quidem ipse eos discipulos, sed nondum Ecclesia eos habuit Apostolos. Apostolatûs enim dignitatem post resurrectionem demum illis concessit, qvando adscensurus in cœlos dixit: *Euntes docete omnes, &c.* Apostolum esse, idem est, quod missum esse, non quocumque modo, sed missum à Christo esse ad prædicandum Evangelium, & testimonium Christo crucifixo perhibendum, in universo terrarum orbe. Ita verò non missi fuerunt duodecim illi à Christo in mortali ipsius vitâ; sed verbis factisque instructi, ut olim cum fructu mitti possent. Falsum itaque est, Christum in hâc mortali vitâ instituisse Apostolos, ut Apostolos, i. e. misisse ad prædicandum Evangelium in universo terrarum orbe, in quâ *missione* dignitas illa Apostolatûs posita erat. Sed adhuc magis à vero alienum est, quòd Christus facto discrimine alios Episcopos, alios Presbyteros, & illos quidem Apostolos, hos septuaginta duos discipulos instituerit. Scriptura utique eosdem nunc Presbyteros, nunc Episcopos appellat, ut inter alia patet ex Actor. XX, 17. & 18. & Philipp. I, 1. Theodoretus idem probat ex Epist. ad Tit. c. I. v. 5. & 7. cum ita commentatur: *Hinc quoque manifestum est, quid Presbyteros nominabant Episcopos. Cum enim dixisset, ut constituas per civitates Presbyteros, subjunxit: Oportet enim Episcopum esse sine crimine. In unaquaque autem civitate non Episcopos, sed Presbyteros multos esse mos est.* Prolixè autem de hâc re disse-

differit Hieronymus in Commentario in eundem locum Epist. ad Titum, ubi inter alia scribit: *Idem est ergò Presbyter, qui & Episcopus, & antequàm Diaboli instinctu studia,* (Schismata) *in Religione fierent, & diceretur in Populis: Ego sum Pauli, ego Apollo, ego Cephæ, communi Presbyterorum consilio Ecclesiæ gubernabantur. Postquam verò unusquisq; eos, quos baptizaverat, suos putabat esse, non Christi: in toto orbe decretum est, ut unus de Presbyteris electus superponeretur cæteris, ad quem omnis Ecclesiæ cura pertineret, & schismatum semina tollerentur.* Vide plura apud ipsum eodem loco. Ad hoc, Apostolos constitutos fuisse Episcopos, vel inde manifestò falsum evadit, quòd Episcopi sunt certæ Ecclesiæ præpositi; sed Apostoli in universum terrarum orbem erant emissi.

§. 7. Deinde, quod de institutione novorum Sacramentorum dicit Becanus, verum est, sed non eô sensu, quem Pontificii intendunt; quasi, præter Baptisma & Eucharistiam, alia sint sacramenta, à Christo instituta. Nec quod dicit de novo sacerdotio & sacrificio, sensu Pontificio capiendum est, quasi adhuc hodieque ministri potestate sibi à Christo concessâ corpus Domini in altari offerant & immolent, adeoq; sacerdotium reverà obeant: Sed quòd ipse Servator, adsumtâ in Divinitatis consortiũ humanâ naturâ, unctus quasi & constitutus in utero est sacerdos, cujus sacerdotii potestate seipsum in cruce pro peccatis nostris obtulit & immolavit. Falsum quoque, Christum sanciviſſe novas leges Evangelicas, si sic intelligas, Christum in Evangelio legem moralem mutasse, vel aliquid ei superadditisse. Expressè enim ait Matth. V, 18. *Se non venisse, ut solvat legem & Prophetas, sed ut impleat.* Hinc eamdem hodie habemus legem, quam Patres in Vet. Testamento; eâque

omnia continentur, quæ ad mores pertinent, exceptis Sacramentis, ad quæ non lege morali, sed divino jure positivo obligamur. Et sanè Becanum per leges Evangelicas non intelligere Sacramenta, aut de Sacramentis latas leges, vel inde perspicitur, quòd Sacramentorum institutionem & novarum legum lationem quasi diversos actus separavit.

§ 8. Manifestum itaque est, in probatione Becani allata esse plura, quæ à vero longè abeant, si quo sensu ipse cum Papistis capit, capiantur. Quod si autem vel maximè eo quem nostræ tenent ecclesiæ, & sic verò atque orthodoxo sensu intelligantur; nihil tamen aliud evincunt, quàm Christum in hâc mortali vitâ ea apparâsse, quæ ad ædificandam ecclesiam fuerint necessaria, adeoque fundamenta jeciſſe, sed eam non plantâsse, non ædificâsse. Nam Ecclesia Catholica est turba credentium, per Evangelium & per Sacramenta Christo Servatori collecta, & toto terrarum orbe diffusa. Huic colligendæ turbæ necessaria erant Sacramenta, Evangelicæ doctrinæ notitia, & Ministri, qui potestate sibi divinitus concessâ Evangelium docerent, & Sacramenta administrarent. Oportebat etiam in antecessum peragi sacrificium in cruce, quod est salutis reparatæ fundamentum, & cui tota fides nostra innititur. Sed his omnibus ita positis & apparatis, nondum erat condita & plantata Ecclesia, antequam Apostoli in universum terrarum orbem profecti, qui per Evangelium & Sacramenta turbam credentium Christo Servatori colligerent.

§. 9. Sed regeri potest, hujusmodi turbam credentium saltem ex Judæis collectam fuisse, antequam Christus in cruce moreretur, sed post Christi adscensionem auctam

&

& propagatam. Primùm enim ipsum Christum erudivisse & discipulos & totum populum, eoque factum, ut plurimi in ipsum crederent. Deinde emisisse quoque Apostolos & septuaginta duos discipulos, ut Evangelium prædicarent: Sicut scriptum Luc. X. *Et misit illos binos ante faciem suam in omnem civitatem & locum, quò erat ipse venturus.* Ad hoc parata est responsio; Etsi præconio Christi in his terris agentis multi conversi, & verâ fide imbuti fuerint; nondum tamen inde sequi, jam tum plantatam & ædificatam fuisse Ecclesiam. Neque enim plantari poterat ante impletum Evangelium, cujus complementum erat mors Christi & Resurrectio; ut ita Christus crucifixus prædicaretur 1. Cor. II. Neque si vel maximè impletum fuisset Evangelium, censeri poterat ædificata Ecclesia Christiana, antequam Synagoga Judaica exspirârat. Emisit verò Christus Apostolos & discipulos suos, non ut prædicarent Evangelium (huic enim muneri tum parum erant idonei,) sed ut præpararent quodammodo hominum animos, cùm generalibus saltem & confusis verbis *Messiam advenisse* denunciarent. Hinc Luc. X. v. 9. Missurus eos Servator, hac potestate & mandato instruit: *Sanate ægrotos, & dicite eis; Appropinquavit ad vos regnum Dei.* Item v. 19. loc. cit. *Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes & scorpiones, & super omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit.* Quin imò ante hos etiam Johannes Baptista, præcursor Domini, prædicabat pœnitentiam & remissionem peccatorum, hominesque monebat, *regnum cælorum adesse*, h. e. tempus nunc appropinquare, quo regnum gratiæ olim à Deo promissum, id est, Ecclesia in universo terrarum orbe colligi & plantari deberet. Idem fecit Christus; idem Apostoli, & Septuaginta duo discipuli. Et sic illi omnes suis præconiis

niis præparabant animos ad futuram, & per Apostolos propediem plantandam Ecclesiam. Per nos etiam licet, ut dicas, tum semina quædam & initia plantandæ ecclesiæ jacta fuisse, sed ipsam Ecclesiam plantatam & ædificatam fuisse pernegamus.

§. 10. Quæ Becanus de Christo jam à mortuis resuscitato & ad gloriam evecto admiscet, præterquàm quòd à statu controversiæ aliena esse ostendimus, cùm de institutis Christi inter mortales mortalem vitam degentis sit quæstio; insuper nec id illa probant, quod probandum est. Nulla est consequentia: *Christus in cœlos adscensurus dixit Apostolis suis: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, &c. & Petro seorsim dixit: Pasce oves meas: Ergo tum plantavit & ædificavit ecclesiam.* Nulla, inquam, hæc collectio est. Quin potiùs, si quidquam, hoc sequitur; Christum ante adscensionem instituisse Apostolos & Ministros, qui plantarent ecclesiam & ædificarent. Non priùs autem plantabatur & ædificabatur, quàm Apostoli in festo Pentecostes, virtute ex alto induti, promulgarent Dei voluntatem Judæis, & inde in orbem universum profecti Gentiles Judæis adderent.

§. 11. Tolerabilior esset Becani sententia, si statueret, Ecclesiam quidem cæptam ædificari, sed non absolutam omnibus numeris & perfectam fuisse, nisi Apostolorum ministerio. Jam verò adeò penitus eam à Christo ædificatam adserit, ut per Apostolos non nisi auctam & propagatam esse contendat. Quod è diametro scripturæ contrarium est. Expresè dicit Servator Petro: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam.* Ergò nondum ædificata tum erat Ecclesia, sed adhuc ædificanda. Quid, quòd

quòd Pontificii verba sic interpretantur, *ædificatam esse ecclesiam super Petrum*; At ædificari super Petrum non potuit, nisi post Christi adscensionem. Sanè, Apostolos in ædificandâ ecclesiâ suas peregisse partes, testatur Paulus Eph. II, 20. *Superædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum.* Idem de se ipso dicit: *Ut peritus Architectus fundamentum posui.* 1.Cor.III,10. Huc etiam spectat promissio Christi dicentis Joh. XX. cap. v. 16. *Alias habeo oves, quæ non sunt ex hâc caulâ; illas quoque oportet me adducere; nam vocem meam audient, fietquè unum ovile, & unus Pastor.* Nempe unum hoc ovile, quod ex Judæis & Gentilibus congregandum promittitur, est universalis illa Ecclesia, de cujus Capite inter nos & Pontificios nunc disceptatur. Universalis autem Ecclesia non nisi post Christi adscensionem, & Apostolorum in universum orbem exitu & præconio collecta & plantata fuit: Tantum abest, ut Apostoli tantùm propagârint ecclesiam, non verò ædificârint.

§. 12. Nunc cum præfatâ Becani hypothesi de ædificatâ per Christum in hâc vitâ existentem Ecclesiâ, corruit etiam id, quod principaliter in quæstione est, *Christum, in hâc mortali vitâ degentem, fuisse visibile caput Ecclesiæ.* Becanus suppositâ falsâ suâ hypothesi, utrumque distinctè probat, & *caput Christum ecclesiæ in hâc vitâ, & visibile caput fuisse.* Sed utriusque argumenti vis huc redit: *Quicumque in hâc vitâ existens, visibiliter ædificavit & gubernavit Ecclesiam, is in hâc vitâ fuit visibile caput Ecclesiæ. Atqui Christus in hâc vitâ existens, visibiliter ædificavit & gubernavit Ecclesiam.* E. Minorem probat I. Visibiliter ædificâsse Ecclesiam, instituendo nova sacramenta, ordinando novos ministros & sacerdotes, sanciendo novas leges, offerendo novum scri-

ficium in arâ crucis: II. Visibiliter gubernâsse docendo, monendo, increpando, corrigendo.

§. 13. Nobis major & minor falsæ esse propositiones videntur. Et de majore quidem tenendum est, plus requiri ad Caput Ecclesiæ, quàm ut Ecclesiam ædificet visibiliter & gubernet. Nam omnes Apostoli ædificârunt & gubernârunt ecclesiam, sed tot capita Ecclesiæ fuisse, quot fuerunt Apostoli, ne ipsi quidem concedunt Pontificii. Quod si autem dicit Becanus, se per visibilem ædificationem Ecclesiæ intelligere institutionem novorũ sacramentorum, lationem novarum legum, oblationem sacrificii in cruce, & alios actus Servatoris nostri proprios; Major tamen falsa est, quod visibilem gubernationem attinet. Neque enim statim, qui visibiliter docet, monet, increpat, corrigit, est caput Ecclesiæ. Minor habet duo membra, quorum alterum est; *Christum, in hâc mortali vitâ degentem, Ecclesiam visibiliter ædificâsse*; Alterum verò *visibiliter eam gubernâsse*. Prius non probatum à Becano jam vidimus. Nam ex eo, quòd Christus instituit nova Sacramenta, ordinavit ministros, obtulit sacrificium in cruce; nihil aliud conficitur, quàm Christum necessaria ad ædificandam Ecclesiam apparâsse. Posterius quoque falsum est, si illud falsum est, ædificatam jam tum fuisse Ecclesiam. Docuit quidem Christus synagogam Judaicam, monuit, increpavit, correxit: his autem omnibus actibus non gubernavit Ecclesiam Christianam, quasi jam ædificatam, sed animos populi Judaici ad illam futuram, & propediem per Apostolos ædificandam, in antecessum præparavit, ut suprà pluribus ostendimus.

§. 14. Faciamus autem, Christum in hâc vitâ degentem,

tem, fundâsse & ædificasse Ecclesiam: nulla tamen hæc Becani consequentia est: *Christus in hâc vitâ existens, fundavit Ecclesiam: E. in hâc vitâ cœpit esse illius Caput.* Probat sequelam sic: Alioquin Ecclesia fuisset sine capite, sine Rectore, sine Præside, quod est absurdum. At absurdum non est, Ecclesiam esse ædificatam, & tamen esse sine tali capite, quale fingunt ac requirunt Pontificii. Non enim loquuntur de capite, quod perpetuo & invisibili influxu gratiæ Ecclesiam foveat, sed quod visibili quodam regimine, universali ecclesiæ, absolutâ potestate præsit & dominetur. Jam verò ad conservandam Ecclesiam, postquam ædificata est, plus non requiritur, quàm perpetuus influxus gratiæ à supremô capite, qui est invisibilis; & visibile Episcoporum ac Presbyterorum ministerium.

§. 15. Cœterùm, ut veritas in clarâ luce ponatur, duo in Christô capite ecclesiæ consideranda sunt, 1. *Absoluta potestas*, sive Majestas. 2. *Potestatis exercitium.* Absolutam potestatem & Majestatem divinam Christus, ut homo ex Divinitatis consortio in utero matris adeptus est, sed quamdiu fuit in statu exinanitionis, absoluto & plenario istius potestatis usu abstinuit, nec priùs eum sibi vindicavit, quàm post resurrectionem, cùm adscensurus in cœlos diceret: *Mihi data est omnis potestas in cælo & in terra*, Matth. XXVIII. Sunt autem quidam actus ita Christi capitis proprii, ut per ministros exerceri non potuerint; alii verò per ministros æquè ac per Christum peragi poterant, & peracti sunt. Proprium Christi capitis est, instituisse sacramenta, & dedisse Evangelium, perpetuoque influxu gratiæ per verbum & sacramenta ecclesiam regere & fovere, Sed docere Evangelium, & administrare Sacramenta,

etiam ministrorum est. Jam quando Christus in hâc mortali vitâ Sacramenta instituit, & absconditam Dei Patris voluntatem revelavit; fecit utroque actu, quod est divinæ Majestatis; sed non priùs, ut Caput, Ecclesiam ædificavit & rexit, quàm per verbum & sacramenta ab Apostolis dispensata eam influxu gratiæ vegetavit quasi, & animavit.

§. 16. Non fortè fuerit inconveniens, si distinguas hîc inter Caput *formaliter* & *fundamentaliter* sumptum. Caput formaliter sumptum non datur nisi datis membris, quæ tum inter se, tum capiti sint unita, ab ipsoq; spiritum & vitam trahant. Unde nec Christus formaliter erat Caput Ecclesiæ Christianæ, quando nondum ædificata erat Ecclesia Christiana, sed adhuc ædificanda. Implicat enim contradictionem; Christũ in hâc mortali vitâ formaliter exercuisse munia capitis, nec tamen exstitisse Ecclesiam, in quam ea exerceret. Caput autem fundamentaliter Christus tum dici poterat, quatenus absolutâ pollebat potestate, & quosdam quoque illius actus exercebat, non quibus ædificaretur, aut regeretur Ecclesia, sed quibus necessaria ad ædificandam olim & regendam Ecclesiam apparārentur. Non capitis actus erant, quòd Evangelium prædicavit Luc. IV. quòd ministros suos errantes corripuit & increpavit, Matth. XVI. & Luc. XXII. quòd legem explicavit, eamque à corruptelis vindicavit, Matth. V, 6. & 7. Hos enim omnes actus etiam administrārunt Apostoli, & hodie administrant Episcopi atque Presbyteri. Capitis autem erat, instituisse Sacramenta, sacrificium in cruce se ipsum obtulisse, & Evangelium propriâ authoritate dedisse. Qui actus non præsupponunt Ecclesiam, quasi jam ædificatam, sed ad illam ædificandam

in-

in antecessum erant necessarii. Erat enim Ecclesia per prædicationem Evangelii & Sacramentorum dispensationem colligenda. Ergò oportebat & instituta jam Sacramenta, & datum Evangelium, cui sacrificium in cruce oblatum cohæret. Hæc autem Christus instituit ac peregit in hâc mortali vitâ visibili modo, & proinde ab illis potuit dici visibile Caput, non *formaliter*, sed *fundamentaliter*, quòd scilicet in iis fundamenta Ecclesiæ per Apostolos ædificandæ verterentur. Reliquis autem actibus visibilibus nihil fecit Christus, quòd non idem pòst fecerint Apostoli, & faciant hodièque omnes Ecclesiæ ministri.

§. 17. Disseruit hactenus Becanus de Christo, cùm in his terris ageret, utrùm ædificârit tunc Ecclesiam, & veluti caput visibili modo eam rexerit: quorum utrumque ab ipso assertum, sed iis rationibus, quibus nihil inesse ponderis vidimus. Nunc probandum sibi sumit, quod probatione non eget; videlicet Christum, in cœlo existentem, esse Caput Ecclesiæ non visibile, sed invisibile. Quamquam huic etiam conclusioni attexit falsam hypothesin; Christum in hâc vitâ fuisse visibile Caput Ecclesiæ. In expositione hujus sententiæ unum atque alterum admiscet, quod à verò alienum est. I. Cùm Christus dicitur caput Ecclesiæ, sumptâ similitudine à capite humano, hanc metaphoram parum congruè & convenienter exponit. *Sunt autem*, inquit, *duo modi, quibus humanum caput gubernat reliqua membra: Unus, per internum influxum, qui in eo consistit, quòd ex capite tanquam ex fonte seu principio derivantur Spiritus sensitivi in reliqua membra; Unde fit, ut reliqua membra possint vitam conservare, & suas functiones exercere: Alter per externam directionem, qua in eo consistit, quòd caput intelle-*

ctum, voluntatem, visum, auditum & alios sensus, qui in eo vigent, dirigat reliqua membra in externis actionibus, ne aberrent. Quo pacto per intellectum & voluntatem dirigit manûs, ne quid illicium committant, & per visum dirigit pedes, ne in foveam incidant, & sic deinceps. Ad eundem modum etiam Christo in his terris agenti duplicem rationem gubernandi Ecclesiam tribuit; sed nunc in cœlis regnanti, unam tantùm. *Christus*, inquit, *in hâc vitâ imitatus est utrumque gubernandi modum. Gubernavit enim ecclesiam dupliciter.* 1. *Per internum influxum gratiæ.* 2. *Per externam directionem. At nunc in cælo existens, per se quidem gubernat Ecclesiam priori modo, nempe quoad internum influxum gratiæ; Non tamen per se, sed per Vicarium posteriori modo, nempe quoad externam directionem.*

§. 18. Nobis rem penitius inspicientibus, non nisi unus occurrit modus, quo caput humanum regit reliqua membra; videlicet, dum Spiritus & vitam *interno & invisibili influxu* à se diffundit & dispensat. Altera directio, quæ *externa* dicitur, sic est à singulis membris, ut caput nihil eò, præter internum spirituum influxum conferat. v. g. Non caput, sed oculi, qui sunt in capite, vident ac prospiciunt, ne pedes in foveam incidant; caput autem oculis spiritus impertit. Et sic caput potest dici causa mediata actuum oculorum, quia nisi oculi spiritus à capite acciperent, munia sua obire non possent. At immediata causa externæ directionis pedum non est, nisi oculorum acies. Proinde, si hîc quoddã constituendum esset caput externæ directionis pedum; oculorum sensus, non caput, in quo sunt oculi, caput efficeretur. Quod ipsi Becano absurdum fuerit. Idem de externâ membrorum per reliquos sensus directione esto

estojudicium: nisi quòd de directione manuum per intellectum & voluntatem diserens, *Physicam & moralem directionem* perperam confundit. Influxus & dirivatio spirituum à capite in sensus ac reliqua membra est *directio Physica*, & præter hanc nulla capiti humano directio competit. Sed cohibitio manuum, ne quid illicitum committant, est *directio moralis*, quæ nullo modo per caput corporeum, sed per voluntatem fit, ex intellectûs consilio, adeò ut si hîc quidem constituendum sit caput, ipsa voluntas sit, intellectu, ut consiliario utens. Hinc etiam vulgò voluntati imperium in reliqua membra tribuunt: Sed imperium non nisi moralis quædam directio est. Relinquitur itaque, ut capiti humano, quà capiti, non nisi unus modus regendi reliqua membra, videlicet internus spirituum & vitæ influxus, competat.

§. 10. Hinc etiam omni fundamento caret attributus Christo duplex modus gubernandi Ecclesiam. Verum est, Christum nunc in cœlis existentem non gubernare Ecclesiam, nisi per influxum gratiæ: Falsum autem, quòd in hâc vitâ, externâ quâdam & visibili directione Ecclesiam rexerit, & in cœlos adscensurus, quoad externam directionem, unum quendam sui Vicarium reliquerit. Concessum est, Christum visibili modo quosdam exercuisse actus, qui capitis Ecclesiæ absolutam potostatem arguerent, putâ, quòd Sacramenta instituit, Evangelium propriâ auctoritate dedit, & sacrificium infiniti ponderis ac pretii in cruce obtulit. Verùm his actibus non gubernavit Ecclesiam, sed ea apparavit, quæ ad ædificandam olim & regendam Ecclesiam erant necessaria, ut plus simplici vice dictum. Neq; verò, si Becanus hos actus *externa directionis* appellatione intel-

intelligeret, Christus eorum ratione ullum habere potest Vicarium; cùm postquàm semel instituta sunt Sacramenta, & datum est Evangelium, sacrificiumque in cruce peractum, nihil in hæc omnia potestatis ulli homini sit relictum. Quod autem Becanus ait, *caput per intellectum & voluntatem cohibere manus, ne illicitum quid committat, per visum dirigere pedes, ne in foveam incidant, &c.* id ipsum maximè Christo in cœlis regnanti, & per ministros suos Ecclesiam regenti competit. Nempe, ut caput interno & invisibili quodam influxu derivat Spiritus in sensus, ut sua munia rite obeant; Ita Christus Episcopis & Presbyteriis dispensat hodieque interno, & insensibili influxu dona gratiæ, ut rectè doceant, moneant, increpent, corripiant, corrigant: Ut ita in his actibus non nisi omnes ministros ecclesiæ Vicarios habeat, quorum unum aliquem dicere caput ecclesiæ non minùs absurdum erit, quàm si visus, quòd pedes dirigat, ne offendant, caput pedum diceretur.

§. 20. Præterea explicaturus Becanus, quomodo Christus per internum influxum gratiæ Ecclesiam gubernet, quàm longissimè à vero aberrat. Christum dicit considerari posse dupliciter. 1. *Ut Deum*, 2. *ut hominem*: Ut Deum, per se physicè & effectivè producere gratiam: Ut hominem; per se moraliter & meritoriè illam conferre. Neutrum rectè & verè. Verum est, ad gratiã Ecclesiæ conferendam requiri duas causas; meritoriam unam, alteram Physicam. Sed harum causarum vices minùs rectè partitur Becanus; quasi Christus non nisi ut homo, sit causa meritoria, & causa Physica non nisi ut Deus. Prius est, Christum promeruisse aut promeriturum fuisse gratiam, quàm eam physicè produci & conferri; quia nisi meritoria causa in-

gene-

genere morum causam Physicam impelleret; Causa Physica gratiam non dispensaret. Est autem meritum gratiæ ἀποτέλεσμα, quod non potuisset perfici, nisi utraq; natura egisset cum communicatione alterius, adeoq; quando passa est in cruce caro, divina natura ejus passionibus infinitum addidit pretium & pondus: tantùm abest, ut Christus non nisi quà homo gratiam meritoriè conferat. Deinde gratiã physicè quidem producere, opus est Majestatis, & potentiæ divinæ: Verùm, quia etiam humana Christi natura per unionem personalem particeps est Majestatis & potentiæ divinæ, sicut ipse Christus in cœlos adscensurus testabatur, *sibi datam esse omnem potestatem in cælo & in terra*; non utique ab iis operibus, quæ Majestatem & potentiam Dei arguunt, exclusa est humana Christi natura. Proinde Christus non tantum, ut Deus; verùm etiam per communicatam sibi omnipotentiam, & Majestatem divinam, ut homo, physico influxu gratiam confert & dispensat.

§. 21. Pergit Becanus, ad probandam eam conclusionem, in qua omne ferè momentum & præsidium malæ Pontificiorum causæ est positum, scilicet præter Christum, qui nunc in cœlo est, debere esse aliquod visibile caput ecclesiæ in terris, quod loco Christi visibiliter Ecclesiam gubernet. *Non loquor*, inquit, *jam speciatim de Petro vel Pontifice Romano, de quibus posteà; sed generatim asero, debere esse aliquod visibile caput ecclesiæ in terris, loco Christi absentis: Non quidem quoad internum influxum gratiæ; sed quoad externam directionem & gubernationem: Sicut in absentiâ Regis solet aliquis constitui in regno, qui vicem illius suppleat in externâ politiâ, præsertim si Rex longo tempore abfuturus est.*

§. 22. Antequam Becani argumenta videamus & examinemus, duo in anteceſsum jure deſiderare videmur; alterum in ſtatu controverſiæ; alterum in modo & proceſſu probandi. In ſtatu controverſiæ deſideramus, quòd cum ſit quæſtio *veteris facti*, an Chriſtus in cœlos adſcenſurus viſibile quoddam caput eccleſiæ inſtituerit, Becanus non hanc, ſed *juris quæſtionem* diſceptandam ſibi ſumit, ſcilicet an debeat eſse in Eccleſiâ viſibile quoddam caput. Deinde in modo & proceſſu probandi deſideramus, quòd neceſsitatem viſibilis capitis in Eccleſia probaturus, non probat, quòd unicè probandum erat, ſine viſibili capite eccleſiam nullo modo gubernari & conſervari poſse. Sed ad examen argumentorum ejus accingamur.

§. 23. Primum argumentum eſt deſumptum ex analogiâ Vet. & Nov. Teſtamenti, quamquam non in formâ propoſitum, quâ debebat; & attextam habet probationem ſequelæ, quæ prorſus aliena eſt, & novum potiùs argumentum ſuppeditat. Principale argumentum hucredit:

Quocumque regimine gubernata ſemper fuit Synagoga Judaica, eodem gubernari debet Eccleſia Chriſti.

Atqui Synagoga Judaica gubernata ſemper fuit regimine Monarchico, ſive ab uno viſibili capite, nempe Pontifice.

Ergò.

Minorem tanquam ab omnibus conceſsam præſupponit. Majorem probat ita: *Cujuscumque eccleſiæ umbra ſive typus fuit Synagoga Judaica, illa eodem regimine gubernari debet, quô ſemper gubernata fuit Synagoga Judaica:*

Atqui Eccleſiæ Chriſtianæ umbra ſive typus fuit Synagoga Judaica.

Ergò *eodem regimine gubernari debet, &c.*

§. 24.

§. 24. Major in principali argumento non priùs nobis persuadetur, quàm firma reddatur ratio, quare Synagogæ Judaicæ & Ecclesiæ Christianæ idem prorsus regimen esse oporteat. Illam autem redditam rationem nondum vidimus. Nam qui probandæ majori propositioni adhibitus est Prosyllogismus, in eô & Major & Minor propositiones sunt falsissimæ. Et majorem quidem quod attinet sanè illud, quòd Synagoga Judaica fuit umbra & typus Ecclesiæ Christi, haud quaquam secum trahit, ut hæc eodem, quo illa regimine gubernari debeat. Poterat enim Synagoga Judaica esse umbra & typus Ecclesiæ Christi in nonnullis, quæ utrique erant communia; sed non statim in regimine: nisi probatum fuerit, præcisè illam in regimine hujus umbram & typum fuisse. Quod si ergò Major hunc in modum limitetur: *Cujuscumque ecclesiæ umbra, seu typus in regimine fuit Synagoga Judaica, illa eodem regimine, quo Synagoga Judaica gubernari debet;* Ita relictâ in medio majore, examinanda nobis minor est, & vel neganda, vel concedendum totum argumentum, pro diversâ illius interpretatione.

§. 25. Prænotandum est, typum V. Testamenti dici dupliciter. I. *in genere morum* seu actionum moralium, aut ut clariùs dicam, in genere rerum agendarum, vel fugiendarum. Et ita typus nihil aliud est, quàm vetus Judaici populi factum, quod nobis veluti exemplar adimitandum vel fugiendum proponitur, prout vel probatum Deo fuit, vel improbatum & animadversum. Ita Apostolus delicta populi Judaici, & pro his inflictas pœnas commemorans, ait: *Hæc autem typi nostri fuerunt, ut ne concupiscamus res malas, sicut illi concupiverunt.* Item: *Hæc autem omnia* (in pœnam) *typicè evenerunt eis: scripta verò sunt ad nostri admonitionem, in quos fines seculorum devenerunt.* 1. Corinth. X, 6. 11

II. Dicitur umbra & typus *in genere personarum, vel rituum & ceremoniarum.* Et sic typus aut est persona, futurum Messiam & hujus officium, aut ritus adumbrans Mesiæ beneficia, aut simile quippiam. Hoc modo de essentiâ & formali ratione typi est ut non sit ipsa illa res, aut expressa illius forma, quam repræsentat, sed sit rudis ac imperfecta & qualiscumque illius adumbratio; quemadmodum hunc conceptum vox *umbræ* suggerit; utque præsente re, cujus erat typus, typus cessare debeat. Hoc sensu auctor Epistolæ ad Ebr. ait c. X, 1. *Lex enim umbram habet futurorum bonorum, non ipsam expressam formam rerum.* Loquitur autem ibi divinus scriptor de anniversario illo & omnium maximè solenni sacrificio, in quo quotannis omnium superiorum peccatorum iterabatur memoria, haut fallaci argumento, non fuisse perfectum istud sacrificium, sed sacrificii in cruce per mortem Messiæ offerendi qualemcunque umbram & typum.

§. 26. Quando Becanus contendit, Synagogam Judaicam fuisse umbram & typum Ecclesiæ Christianæ, haud dubiè voces posteriori capit modo. Et testatur utrumque Scriptura sacra, quædam fuisse in Synagogâ Judaicâ, quæ umbram & typum gererent eorum, quæ in Christianâ Ecclesiâ adimpleta sunt, & expressam formam induerunt. Sed Synagogam Judaicam fuisse umbram & typum Ecclesiæ Christianæ, quod formam ecclesiæ & regimen attinet, nusquam scriptura dicit. Imò obstat formalis typi ratio. *Nempe in quocumque Synagoga Judaica fuit umbra & typus Ecclesiæ Christianæ, ejus expressam formam Synagoga Judaica non habuit; consecuta autem est Ecclesia Christiana. Atqui Synagoga Judaica fuit umbra & typus Ecclesiæ Christianæ,*

quod

quod formam ecclesiæ & regimen attinet: Ergò Synagoga Judaica expressam Ecclesiæ formam & verum ejus regimen non habuit, adepta demum est Ecclesia Christi. Conclusio est absurda, uti non diffiteri poterit Becanus. Ergò altera propositionum erit falsa. Non autem falsa est major; quæ tùm ex formali ratione typi, tum inductione omnium typorum Vet. Testamenti, sat roboris ac præsidii adquirit. Relinquitur itaque, ut falsa sit minor, quæ est Becani.

§. 27. Verum est, Synagogam Judaicam fuisse umbram & typum ecclesiæ Christianæ, quod summum Pontificem, & oblatum ab hoc quotannis sacrificium solenne attinet, sicut ex Epistolâ ad Hebræos liquidò patet. Neque enim Synagoga Judaica expressam veri pontificis & perfecti sacrificii formam habuit; habet autem nunc Ecclesia Christiana, postquam Christus se ipsum in cruce victimam Deo Patri obtulit. Quamobrem etiam umbræ, & typi unà cum Synagogâ Judaicâ exspirarunt, præsente & adimpleto eo, cujus umbræ & typi erant. Quod si jam major propositio in argumento Becani sic emendetur, sicut emendari debet: *Cujuscumque ecclesiæ in ratione summi pontificis & sacrificii umbra & typus fuit Synagoga Judaica, illa ecclesia debet habere pontificem, & ipsum illud sacrificium, cujus umbram & typum tenuit Synagoga Judaica*: jam totum concedendum argumentum est. Infert enim hanc conclusionem: *Ergò Ecclesia Christiana debet habere ipsum Pontificem, & ipsam illud sacrificium, cujus umbram tantùm & typum tenuit Synagoga Judaica:* quod verissimum, & impletum in Christo ejusque sacrificio est, ut allegata ad Hebræos Epistola passim testatur.

§. 28. In uberiori analogiæ Vet. & Nov. Testamenti expositione Becanus vehementer errat & impingit. Ut suprà duplicem regendorum membrorum modum capiti assignavit; sic hîc duplicem analogiam fingit: Unam, *quoad internum influxum gratiæ*; alteram, *quoad externam gubernationem. Prior*, inquit, *in eo consistit, quòd sicut Christus per sua merita prævisa contulit Synagogæ internam gratiam; Ita per sua merita jam exhibita multò abundantiorem gratiam conferat ecclesiæ. Posterior in eô, quòd sicut Moses mediator Veteris Testamenti, fuit primum caput visibile Synagogæ, quoad externum regimen: Ita Christus mediator Novi Testamenti fuerit primum caput visibile ecclesiæ, in externo regimine.* Rursum: *quòd sicut post mortem Mosis semper perseveravit visibile regimen Synagogæ, ita post adscensionem Christi semper perseveret visibile regimen ecclesiæ.* Hactenus Becanus.

§. 29. Agnoscimus *internum gratiæ influxum*, quemadmodum in Synagogâ Judaicâ ob prævisa venturi Messiæ merita, sic hodieq; in Ecclesiâ Christianâ, ob Messiæ jam exhibiti merita adimpleta: Non autem eo ex capite, quòd illa hujus umbra & typus fuerit; sed quia utraq; vera Ecclesia, adeoque utrique internus gratiæ influxus erat necessarius. Analogia quoad externam gubernationem aliquid veri habet, sed quo causæ Pontificiæ nihil consulitur: quo autem maximè consuli videbatur, id palàm falsissimum est. Introducitur Moses, ut typus Christi, & quidem dupliciter. 1. Ut *mediator Vet. Testam.* 2. ut *primum caput visibile Synagogæ.* Mosem fuisse mediatorem Vet. Testament. satis quidem ex scripturâ constat. Ait ipse Deut. V. *Ego medius & sequester fui inter Deum, & vos, in illo tempore.* Et Gal. III. *Data est lex per angelos in manu mediatoris*, id est, Mosis. Estque jam extra controversiam positum, Mosen in officio

hoc

hoc mediatorio fuisse typum Christi. Hinc epistola ad Hebræos, cap. IX. & XII. Christum vocat *mediatorem Nov. Testamenti*, quasi alludens ad mediatorem Vet. Test. Mosen. Neque enim Moses perfectus ille mediator fuit, per quem genus humanum Deo reconciliandum foret, sed internuncius tantùm inter Deum & populum Judaicum: unde futuri mediatoris Dei & hominum Jesu Christi umbra & typus fuit, & ille cessavit typus, quando perfectus mediator in carne comparuit. Quemadmodum verò Moses in hoc mediatorio officio, non habuit successorem; cùm, postquam per ipsum semel data erat lex, rata & firma usque ad Christum manserit: Sic quoque Christus in eodem officio successorem non habet, aut vicarium, *sed est & manet in aternum noster mediator, semper vivens, ut interpellet pro nobis* Heb. VII, 25. atque adeò ex hâc analogiâ nihil præsidii causæ suæ adquirit Becanus.

§. 30. Quòd autem porro addit, Mosen fuisse primum visibile caput Synagogæ, quoad externum regimen; id nullo scripturæ testimonio confirmari potest. Hoc ex scripturâ liquet, Mosen fuisse magistratu functum politico Exod. XIIX, 13. *Altera autem die sedit Moses, ut judicaret populum, qui assistebat Mosi à mane usque ad vesperam.* Quod cum videret ipsius socer Jethro, sacerdos Midian, in consilio ipsi fuit, ut tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, & Decanos constitueret, qui leviores controversias deciderent, Mosi non nisi gravioribus reservatis, ut legere est ibidem, v. 21. Patet itaque, judicis & Magistratûs civilis officium Mosen obiisse; sed pariter rebus Ecclesiasticis præfuisse, non patet. Conjectura est, antequam Pontificatus & sacerdotium lege institueretur, non separatam curam rerum

rerum civilium & Ecclesiasticarum, sed utramque uni Mosi commissam fuisse. Sed quâ tunc curâ, quove regimine in ecclesiasticis erat opus, quando nondum formata erat Synagoga, nondum sacerdotium institutum? Quin potiùs in hoc comparari possunt Moses & Christus; quòd sicut Moses non fundabat Synagogam, sed quæ ad illam fundandam necessaria erant, ex mandato DEI apparabat; putà, cùm Legem à DEO acceptam promulgaret, & sacerdotium institueret: ita ipse Christus in his terris præsens non ædificavit Ecclesiam, sed quæ ad illam ædificandam necessaria erant, apparavit. Non autem hâc analogiâ obtinet Becanus, quod vult, scilicet Christum fuisse visibile caput Ecclesiæ. Moses utique per hoc non fuit caput Synagogæ, quòd necessaria quædam ad illam formandam paravit. Ergò nec Christus eo ex principio fuit caput ecclesiæ. Quamquam, ut in omni analogiâ, ita & in hâc magna cernitur dissimilitudo. Moses ex DEI mandato; sed Christus propriâ auctoritate necessaria quædam in antecessum instituit. Ad hoc erat Moses Princeps & magistratus politicus, quem deprecabatur à se Christus, dicens: *Regnum suum non esse de hoc mundo.* Unde non simpliciter valet consequentia: Moses fuit typus Christi. Ergò, quocumque officio fuit functus Moses, eodem & Christus.

§. 31. Sed regeri potest, quando promulgatâ lege & instituto sacerdotio, formata jam erat Synagoga, tum Mosen cæpisse esse caput ejus, & mansisse usque ad mortem. Respondeo; tum curam rerum ecclesiasticarum fuisse penes summum Pontificem, non exclusis tamen aliis sacerdotibus & synedrii magni Viris: nullam autem in lege memorari summum Pontificem ante Aaronem. Exod. XXVIII,

1. &

1. & 41. Quò fit, ut si quisquam, Aaron primum visibile caput Synagogæ fuerit.

§. 32. Dicat hîc Becanus, causæ suæ nihil obesse, sive Moses, sive Aaron primum caput Synagogæ fuerit, modò primum quoddam ejus caput, idque visibile fuisse concedatur: namque misso Mose, posse cum Aarone analogiam institui; ut sicut ipse primum caput visibile Synagogæ, quoad externum regimen; Ita Christus primum caput visibile Ecclesiæ in externo regimine fuerit. Nos verò hanc etiam analogiam, cujus nullum in scripturâ exstat vestigium, non unâ de causâ rejicimus. Ante omnia dubitari potest, an, qui erat summus Pontifex, caput Synagogæ fuerit. Certè de ratione capitis est, ut potestatem habeat condendi leges & jura, minimùm, quod externum ordinem attinet. Sed hanc potestatem in Synagogâ Judaicâ sibi soli Deus reservarat. Itaque in quæstionibus juris nihil permissum erat sacerdotibus, & qui his præerat, summo Pontifici; sed standum erat legibus divinis, & ex his quæstiones facti decidendæ. In dubiis autem, & lege non determinatis, aut suspendebatur sententia, aut consulebatur Deus, qui etiam per *Urim & Thummim* responsa dabat. Verosimilius itaque est, solum Deum fuisse caput Synagogæ, sacerdotes cum Pontifice fuisse ministros, nec indiguisse visibili quodam capite; quoniam Deus ipse per *Urim & Thummim* responsa dabat. Hoc unum Majestatem arguebat; quòd à summi Pontificis & sacerdotum judicio non licebat appellare, sed eorum decretis standum erat, ut dirimerentur tandem lites, & paci reipubl. consuleretur. Quod si inde summus Pontifex caput dicatur fuisse Synagogæ Judaicæ, non repugnamus magnoperè, modò non excludatur sa-

cerdotum collegium; hoc enim inconsulto, nihil videtur determinâse summus Pontifex, saltem de rebus dubiis & magni momenti. Unde Deut. XVII, 8, 9, 10, 11. Si qua difficilis & ambigua disceptanda esset causa, ea non remittitur ad unum summum Pontificem, sed ad sacerdotes. *Venies* inquit Deus, *ad sacerdotes Levitici generis, & ad judicem qui fuerit illo tempore; quæresq; ab eis, qui judicabunt tibi judicii veritatem. Et facies quodcumque dixerint, qui præsunt loco quem elegerit Dominus, & docuerint te juxta legem ejus. Sequerisque sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, neque ad sinistram.* Manifestum jam est, si vel maximè summus Pontifex ob auctoritatem jam dictam potuisset dici caput Synagogæ, ab illo ad Christum in externo regimine non valere analogiam. Neque enim Christus rexit Ecclesiam, quemadmodum ille Synagogam; cùm Ecclesia, vivente in his terris Christo, nondum ædificata esset: neque ulla inter summum Pontificem Veteris Testamenti, & Christum institui comparatio potest, quod Ecclesiæ regimen attinet. Sola sacrificii ratio analogiam facit, de quâ hîc non est quæstio.

§. 33. Pergit Becanus, & falsam analogiam aliam ex aliâ nectit. *Rursum*, inquit, *sicut post mortem Mosis semper perseveravit visibile regimen Synagogæ* (scil. in Mosis successoribus) *ita post adscensionem Christi semper perseveravit visibile regimen ecclesiæ* (scil. in Petro & hujus successoribus) & §. sequenti ait: *Visibile caput Synagogæ ab initio fuit Moses, cui posteà successerunt Pontifices Legales. Visibile autem caput ecclesiæ ab initio fuit Christus, cujus locum postea supplevit Petrus & hujus Successores.*

§. 34.

§. 34. Primùm, quando dicit Becanus, Mosi successisse Pontifices legales, præsupponat necessum est, Mosen fuisse Pontificem. Neque enim quisquam dicitur alteri in aliquo officio succedere, nisi idem cum illo officium capessat. At Moses non fuit Pontifex, neque lege, neque ante legem constitutus; non lege, quod agnoscit Becanus, quia lege primus constitutus Pontifex fuit Aaron; neque ante legem, quia lex Pontificatui & Saerdotio originem dedit, nullusque ante legem Pontifex fuisse memoratur. Falsum itaque est, Mosi successisse Pontifices legales. Deinde, cùm ait Becanus, post mortem Mosis perseveraſſe visibile regimen, scilicet in Mosis successoribus, haud obscurè innuit, Mosen usque ad mortem visibile caput Synagogæ fuisse, non obstante, quòd vivente ad huc ipso, & ab ipso summus Pontifex Aaron institueretur, & dein ipso superstite Synagogam regeret. Aut ergo primus Pontifex Aaron non habuit eam potestatem, quam habuerunt Pontifices post mortem Mosis, aut si eam quoque ipse habuit, Moses eo in Pontificem uncto, non fuit caput Synagogæ. Prius dici non potest; siquidem hac fini constitutus fuit Aaron summus Pontifex, ut Sacerdotibus & rebus ecclesiasticis præesset, reservatâ Mosi rerum civilium curâ. Ergò concedendum posterius, Mosen, constituto summo Pontifice Aarone, non fuisse caput Synagogæ: quia alioquin duo capita visibilia Synagogæ fuissent, quod ipsi quoque Becano absurdum fuerit.

§. 35. Satis de analogiâ Veteris & Novi Testamenti. Examinanda quoque est probatio sequelæ, quam Becanus argumento ab analogiâ desumpto attexuit, ex quâ, uti diximus, novum potiùs, & hoc quidem argumentum nascitur:

Quod regimen est perfectius quovis alio regimine, & Synagogæ Judaicæ competiit, id multò magis Ecclesiæ Christi tribuendum fuit.

Sed regimen Monarchicum est perfectius quovis alio regimine, & Synagogæ Judaicæ competiit.

Ergò multò magis Ecclesiæ Christi tribuendum fuit.

Majorem confirmat *ab absurdo*: Quia aliâs Ecclesia Christiana esset deterioris conditionis, quàm Synagoga Judaica, si qua perfectio, quæ huic competiit, illi esset denegata. Minor est bimembris: Unum ejus membrum jam examinatum fuit, videlicet, *an & quomodo Synagogæ Judaicæ regimen Monarchicum competierit*: Alterum membrum est, *regimen Monarchicum esse perfectius quovis alio regimine*, quod non probat Becanus; Sed quasi concessum præsupponit, cùm tamen maximè probatione egeat. Nos ad hoc Minoris propositionis membrum ante omnia regerimus; nullum regimen in his terris, ubi homines suat affectibus obnoxii, esse perfectum simpliciter, sed illud perfectius habendum, quod hominum gubernandorum ingenio & moribus magis respondet. Unde Aristoteles rempublicã vocat *optimam καθ' ὑποκειμένην ὕλην*, lib. IV. Polit. cap. 1. Ita regimen Monarchicum non convenit multitudini hominum, quos inter multi virtute & prudentiâ excellentes reperiuntur, sed satius omninò fuerit, illam à pluribus & optimatibus regi. Jam majorem propositionem hunc in modum limitamus:

Quodcumque regimen est perfectius quovis alio regimine, & Synagogæ Judaicæ competiit, id multò magis Ecclesiæ Christianæ tribuendum fuit, si huic aquè ac Synagogæ erat conveniens.

At

At Ecclesiæ Christianæ regimen Monarchicum parum conveniens & accommodatum esse patet. Primùm enim latiùs patet Ecclesia per totum terrarum orbem dispersa, quàm ut commodè regi ab uno mortali homine possit: sed hoc si cui competeret, non nisi omniscii & omnipotentis foret Dei. Deinde Ecclesia Christiana, in quâ visibilis est cætus, & ab hominibus regitur, non respublica est propriè ita dicta, quæ regimen vel Monarchicum vel Aristocraticum sibi vendicet. Neque enim ipsi jurisdictio & vis coactiva competit; sed tantùm spiritualis potestas docendi verbum Dei, administrandi sacramenta, & ligandi solvendique peccatores. Quod autem huic potestati respondet officium, commodiùs à pluribus quàm ab uno administrari, luce clarius est. Neque si vel maximè Ecclesiæ Christianæ unus Episcopus præficeretur, is in universo terrarum orbe, sive Evangelium prædicare & sacramenta administrare, sive Episcopos ubique ordinare & constituere posset. Alia erat ratio de Synagogâ Judaicâ, quippe quæ brevibus spatiis circumscripta potuit ab uno regi, & præterea vim exercebat coactivam in eos, qui summo Pontifici & sacerdotibus non obsequerentur, ut videre est Deut. XVII, 12. ut ita magis quàm ecclesia Christiana Reipublicæ propriè dictæ rationem obtinere videretur. Ad probationem Majoris propositionis respondemus, eam tolerari fortè & concedi posse; Si qua perfectio, quæ Synagogæ Judaicæ contigerat, Ecclesiæ Christianæ ita deesse ostenderetur, ut non aliâ majori perfectione esset compensata. Magna erat perfectio Synagogæ Judaicæ, quòd Deus ipse in eâ per Urim & Thummim responsa daret. Perfectione hâc caret Ecclesia Christiana, nec propterea est deterioris

conditionis, quàm Synagoga, cùm alias majores perfectiones fuerit consecuta. Nã per Urim & Thummim responsa Deus dedit non de iis, quæ ad salutem æternam pertinerent; sed maximè de futuris, & dubiis eventis; quô quantò est præstantius, quòd in Novo Testamento Deus per filium suum Evangelium de æternâ potiundâ salute patefecit? Exaggerat hoc beneficium Auctor Epistolæ ad Heb. cap. I, 10. *Multifariàm multisque modis olim Deus locutus est patribus in Prophetis; ultimis his diebus locutus est nobis in filio suo.* Et Joh. I, 17. & 18. scriptum est: *Lex illa per Mosen data est; gratia & veritas per Jesum Christum prædicata est. Deum nemo vidit unquam; unigenitus ille Filius, qui est in sinu Patris, ille nobis exposuit.* Eòque excellentius est istud beneficium, quod posteà Apostolorum præconio ad omnes populos in universo terrarum orbe redundavit. Jactat Becanus pro magnâ perfectione, quòd Synagogæ Judaicæ præfuit unus Pontifex summus, qui quotannis sacrificium solenne cum omnium superiorum peccatorum repetitâ memoriâ offerret. Quis autem non majoris arbitretur perfectionis, ipsum illum Pontificem in Novo Testamento comparuisse, cujus umbram & typum Pontifex Synagogæ gessit, nec imperfecta, eoque sæpius iteranda hircorum & vitulorum sacrificia, sed se ipsum Deo Patri semel in perfectissimam hostiam in cruce obtulisse, atque adeò omnia, quæ ad redimendum genus humanum pertinebant, unâ oblatione consummâsse?

§. 36. Sat diu nos detinuit primum argumentum, & huic adjecta sequelæ probatio, ex quâ tamen etiam peculiare argumentum nobis nasci visum est. Progredimur nunc ad secundam rationem, quam Becanus dicit, se desumsisse ex

ex iis Scripturæ testimoniis, ubi Ecclesia comparatur cum *exercitu bene ordinato Cant. VII. v. 3. cum regno* Daniel. II, 44. cum *ovili*, Joh. X, 16. cum *domo*, 2. Tim. III, 15. Denique *cum humano corpore*, 1. Cor. XII. Argumentum hinc fit tale: *Quomodo regitur exercitus bene ordinatus, regnum, ovile, domus, & humanum corpus; ita & Ecclesia. Atqui exercitus bene ordinatus regitur ab uno Imperatore, regnum ab uno Rege, ovile ab uno Pastore, domus ab uno Patre familias, humanum corpus ab uno capite. Ergò & Ecclesia ab uno Rectore & capite gubernatur.* Minorem ab omnibus concessam præsupponit. Majorem inde probat, quia in adductis Scripturæ testimoniis Ecclesia *exercitui bene ordinato, regno, ovili, domui & corpori humano* comparatur, nec alia comparationis ratio ostendi potest, quàm regimen. Nos agnoscimus *comparationem Ecclesiæ cum dictis cætibus* in regimine, & concedimus, Ecclesiam quoq; ad illorum similitudinem gubernari ab uno Rectore & capite, videlicet *Christo*. Sed excipit Becanus: *Non satis est, si dicas, hunc unum Rectorem esse Christum; Christus quidem Rector est, quoad internum influxum gratiæ, etiamsi absens sit; sed non potest esse quoad externam gubernationem, quando absens est: igitur alius debet esse illius loco. Quod patet ex metaphoris jam allatis. Nam sicut in exercitu, quando procedit contra hostem, necessariò debet adesse unus supremus Dux, aut in ejus absentiâ alius illius vicarius, qui omnia dirigat, & cui omnes reliqui obediant: Sic etiam servatâ proportione fieri debet in Ecclesiâ. Alioqui non erit unitas, sed divisio, schisma, & dissensio.*

§. 37. Becanus hîc petit, quod erat *in principio* probandum, *Ecclesiam quoad externam gubernationem non posse regi & conservari absque uno visibili capite.* Analogia ab *exercitu* desum-

desumta id non probat, quia quod visibile regimen attinet, dissimillima est ratio. Nam primùm penes exercitum est *vera jurisdictio* & vis coactiva, quæ penes Ecclesiam non est. Deinde tota potestas Ecclesiæ est *Spiritualis*, & quoad externum regimen ministerialis, utpote quæ sese exserit prædicatione Evangelii, administratione sacramentorum, & ligatione ac solutione peccatorum: Sed ita non comparata est potestas, quâ pollet exercitus. Non itaque sequitur: *Exercitus non potest regi, nisi ab uno visibili capite: Ergò nec Ecclesia.* Quando enim ministri prædicant Evangelium, & administrant Sacramenta, & Christus per horum ministerium perpetuo gratiæ influxu Ecclesiam vegetat quasi & fœcundat: quid ad gubernandam conservandamque Ecclesiam requiri potest amplius? Quamquam externa quoque gubernatio Christo, ut causæ mediatæ, adscribi potest. Ipse enim dat Doctores atque Episcopos Ecclesiæ, & hos adsistentiâ Spiritus Sancti regit, ut salutariter ecclesiam docere possint.

§. 38. Excipit Becanus, nisi unum sit visibile caput Ecclesiæ, *non fore unitatem, sed divisionem, Schisma & dissensionem.* Fac valere consequentiam de *exercitu*, vel *regno*: de *Ecclesiâ* certè ea negatur. Spiritualis enim Ecclesiæ pax & unitas est, quæ non tam uno visibili capite, quàm mutuo charitatis vinculo, & Episcoporum ordine conservari potest, & olim conservabatur, antequam Pontifices Romani universalem dominatum sibi arrogarent: Episcoporum quisque cum suis presbyteris, quæ leviora erant, curabant. Et verò inter Episcopos ordo ejusmodi servabatur, ut qui plurimùm possent publicum bonum procurare, illi censerentur primi, adeoque honoris & gratiæ præro-

prærogativâ, non repugnantibus cæteris, gauderent. Synodi autem ex pluribus Episcopis congregatæ difficiliora tractabant, cumprimis verò discutiendis dubiis, minuendis aut dirimendis controversiis, & damnandis ejiciendisq; ex Ecclesiâ obstinatis hæreticis vacabant.

§. 39. At enim suam illam de exorituris, nisi esset unum visibile caput ecclesiæ, *dissensionibus* exceptionem Becanus declarat exemplo. *Sint*, inquit, *in uno exercitu duo vel tres Imperatores, cum pari potestate, quorum unus decernat, pugnandum esse cum hoste; alter quiescendum; tertius fugiendum; quid putas facturos milites? Alii cùm hôc, alii cum aliô, conspirabunt. Tolletur unitas, orietur schisma, exercitus dissipabitur. Applico: sint in Ecclesiâ Christi, quæ unica est, plures Episcopi cum pari potestate, qui nullum in terrâ superiorem agnoscant. Unus eorum decernat, Ecclesiasticos non obligari ad cœlibatum; alius contrarium constituat: tertius in dubio relinquat: quid Clerici inferiores, qui Episcopis subjecti sunt? Distrahentur in varias sectas, & dissidia. Quis rediget illos in unitatem, si non est unus aliquis superior, cui omnes teneantur obtemperare?*

§. 40. Nisi fallimur, tota vis & ratio, quâ adducta Becani analogia nititur, huc redit: *In quocumque cœtu sunt plures pari cum potestate, quorum unus hoc, alius aliud decernat, in illo tollitur unitas, oritur schisma, & cœtus dissipatur.* Ex applicatione autem allati exempli ad Ecclesiam nascitur talis assumptio sive minor propositio: Atqui *secundùm eorum sententiam, qui negant Ecclesiam ab uno visibili capite regi, sunt plures in Ecclesiâ, pari cum potestate, & fieri potest, ut unus eorum hoc, alius aliud decernat. Ergo.* Non solutu difficile est hoc argumentum, si modò exponatur, quo sensu in Ecclesiâ sint plures pari cum potestate, & quo non sint. Nempe sunt

in Ecclesiâ plures cum *pari potestate ministeriali*, id est, qui potestatem prædicandi Evangelium, administrandi sacramenta, & ligandi ac solvendi peccatores ex æquô obtinent. Hæc plus non, quàm *ministerialis* potestas est; quæ Christi unius invisibilis capitis potestati subordinata est, nec cum jurisdictione & vi coactiva conjuncta. Quod si major jam ita intelligatur: *In quocumque cœtu sunt plures cum pari potestate ministeriali, quorum unus hoc, alius aliud decernat, in illo tollitur unitas, oritur schisma & cœtus dissipatur.* Ita majorem esse falsissimam, nemo non videt. At enim excipiet Becanus, non sibi sermonem esse de potestate ministeriali, sed de principali & summâ, quæ alterius potestati non sit subordinata, adeoq; veram jurisdictionem secum trahat. *Sint*, inquit, *in ecclesiâ Christi, quæ unica est, plures Episcopi cum pari potestate, qui nullum in terrâ superiorem agnoscant* &c. Ita verò contra nos non disputat Becanus. Neque enim nos, quando ecclesiam ab uno visibili capite regi negamus; intereà in Ecclesia plures Episcopos statuimus, qui ita paris sint potestatis, ut nullum in terra superiorem agnoscant. Hoc fixum & undique indubitatum est, sicut regna sunt divisa, nec unum ab altero dependet; ita etiam si inter se comparentur plures Episcopi, posse eos eatenus pari potestate esse præditos, quatenus alter ab altero in regendâ sibi commissâ Ecclesiâ non dependet. At verò absolutè eos nullum in terrâ superiorem agnoscere, nobis ne per somnium quidem in mentem venit. Aut enim *spirituale* exercent potestatem prædicandi evangelium, administrandi Sacramenta, & ligandi solvendiq; peccatores; aut *de adiaphoris* & ad externam disciplinam pertinentibus decernunt. Priori potestate, si à Christo uno quamlibet invi-

invisibili capite recesseris, subsunt judicio Ecclesiæ catholicæ, quæ ex præscripto verbi Dei de doctrinâ & vitâ uniuscujusq; Episcopi judicat, & quos vel non rectè docere vel malè vivere reperit, nisi admoniti & correcti in viam redeant, gradu movet, hæresesq; à sanâ doctrinâ, & intolerabiles errores alios à veritate semovet & secernit. Posteriori verò potestate potestati seculari subsunt, quatenus interest reipublicæ, ut omnia quoque in Ecclesiâ ordine & decenter peragantur; nec si in his adiaphoris non idem omnes Ecclesiæ sentiant & teneant, propterea unitas earum dirimitur, modò in fundamentis fidei consentientes mutuo charitatis affectu se prosequantur.

§. 41. In exemplum Becanus assumit cœlibatum Clericorum: tanquam, si de eo plures Episcopi discrepent, non possint non oriri sectæ & schismata, nisi unus quasi omnibus superior litem dirimat. At verò facilè componi posset controversia, si Ecclesiæ catholicæ ex præscripto verbi Dei ea disceptanda relinqueretur, quemadmodum in primævâ factum ecclesiâ est. Sanè cùm Episcopi super Arianâ hæresi diversè traherentur, & mirè dissentirent; non unus Episcopus, tanquam, qui cæteris omnibus superior, sed Concilium Nicænum, & in eo universa Ecclesia, ductu verbi Dei, veritatem asseruit, hæresin damnavit, & ita litem diremit. Idem pluribus exemplis demonstrari posset, nisi eorum plena essent vetustissimorum Patrum monumenta.

§. 42. Ne nunc repetamus, quod supra memoratum, inter *exercitum* & *Ecclesiam* in regimine nullam esse comparationem. Ecclesia in iis, quæ ad salutem & fundamentum fidei spectant, nihil suo arbitratu, sed omnia ex præ-

 scripto

scripto Verbi Dei dijudicat, nec quid Verbo Dei consentaneum sit, ignorare potest, quando secundùm factas sibi à Christo promissiones perpetuâ Spiritus Sancti assistentiâ regitur. At qui exercitui præest, unus omnia suo arbitratu, & absolutâ potestate, ordinat & constituit.

§. 43. Quàm nulla plane vis in altero Becani argumento insit, jam sine ulteriori discursu ac discussione manifestum, nisi fallor, evadit. Transimus itaque ad rationem tertiam, quam *ex institutione Christi* desumtam dicitat. *Primum*, inquit, *regimen, quod Christus in Ecclesiâ instituit, fuit visibile ac Monarchicum, quoad externam gubernationem. Nam ipsemet Christus, ut suprà ostensum est, tanquam supremum caput & Monarcha, visibiliter suam ecclesiam fundavit & gubernavit. Vel ergò post adscensionem Christi, mansit visibile & Monarchicum regimen, vel mutatum est. Si mansit; necesse est, ecclesiam post Christi adscensionem semper gubernatam fuisse ab uno visibili capite, seu Monarchâ, quod nos contendimus: Si mutatum est: planè sequitur, ecclesiam ipsam mutatam esse, nec eandem nunc esse, quæ olim fuit. Sicut enim qualibet Respublica censetur mutari, teste Philosopho, quando modus seu forma gubernandi mutatur; sic etiam de ecclesiâ statuendum est. Atqui absurdum est dicere, Ecclesiam Christi mutatam esse: Ergo absurdum & illud, ex quo hoc sequitur.*

§. 44. In hoc nectendo argumento supponit Becanus, quod falsum est, & quod suprà pluribus est refutatum, videlicet Christum cum in his terris ageret, velut caput & Monarcham visibiliter ecclesiam suam fundâsse & gubernâsse. Neq; enim tum temporis plantata erat ecclesia Christiana, sed adhuc synagoga stabat Judaica; nisi quòd Christus eam ad Christianam ecclesiam, quæ per Apostolos in toto

totò terrarum orbe colligenda esset, prædicatione Evangelii & adventûs Messiæ denunciatione sensim & paulatim præpararet. Fac autem, tum temporis fundatam & ædificatam fuisse Christianam ecclesiam, sed quod volunt Pontificii, posteà per Apostolos auctam & extensam; nondum probatum est, Christum velut caput & Monarcham visibiliter eam gubernâsse. Neque enim si sacramentorum & ministerii institutionem, & conditos ac promulgatos propriâ auctoritate fidei articulos excipias, quidquam fecit regendæ ecclesiæ Christus visibiliter, quod non idem posteà fecerint Apostoli, & adhuc faciant omnes pii Pastores & Episcopi. Unde suprà distinguebamus inter actus Christi *regios* ac *ministeriales*. Actus regii sunt, quòd sacramenta & ministerium instituit, ut & articulos fidei quasi leges propriâ auctoritate condidit & confirmavit. Visibiliter utique hos actus exercuit, sed iis caput ecclesiæ non erat, nisi *fundamentaliter*, in quantum ea apparabat, in quibus fundamenta ecclesiæ per Apostolos ædificandæ consisterent. Nec si his actibus Christum caput ecclesiæ fuisse concederemus, quidquam juvaret Pontificios. Ita enim Christum volunt fuisse caput visibile ecclesiæ, ut in cœlos adscensurus sui in terris vicarium reliquerit: sed actibus jam memoratis, ut ipsimet largiuntur Pontificii, vicarium non habet, tum quia Majestatem arguunt, tum quia semel administrati sufficiunt. Ministeriales autem actus sunt, quòd prædicavit Evangelium, Es. LXI. & Luc. IV. quòd ministros errantes corripuit & increpavit, Matth. XVI. & Luc. XXII. quòd legem explicuit, & à corruptelis vindicavit, Matth. V. VI. & VII. Tantùm autem abest, ut his actibus Christus Monarchicum regimen instituerit, aut velut caput &

Monarcha Ecclesiam rexerit; ut etiam Apostoli ejus eosdem actus administrârint, & adhuc omnes fidi Pastores & Episcopi eos exsequantur. Confer, quæ supra eundem prope in sensum prolixè disseruimus.

§. 45. Corruente itaque hypothesi Becani, argumentum etiam eâ innixum labat, nec ulteriori discussione eget. Nempe, cùm nullum ante Christi adscensionem in Ecclesiâ visibile & Monarchicum regimen fuerit, falsa utique & absurda hæc Becani propositio disjunctiva est: *Vel ergo post adscensionem Christi mansit visibile Monarchicum regimen, vel mutatum est.* Neque enim mansisse, neque mutatum esse dici potest, quod nunquam fuit. Imò damus, fuisse visibile & Monarchicum regimen, saltem fundamentaliter, si ad actus regios respicias, quibus Christus sacramenta instituit, & articulos fidei, quasi leges, propriâ auctoritate condidit, confirmavit, promulgavit. Ne sic quidem illud vel mansisse vel mutatum esse dici potest: quia satis habuit Christus semel instituisse sacramenta, & articulos fidei propriâ autoritate confirmasse, ut hos actus per unum vicarium iterari, aut factâ regiminis mutatione, pluribus iterandos committi, nec opus sit, nec res ferat. Quod si autem Becanus visibile & Monarchicum regimen actibus ministerialibus, scilicet prædicandi Evangelium, & interpretandi legem, aliisq; similibus circumscriberet, nihil minùs quàm Monarchicum regimen foret; quia non modò Christus in eorumdem actuum consortium assumsit discipulos suos, cùm in his terris ageret; verùm etiam in cœlos adscensurus, eosdem Apostolis & omnibus pastoribus ac Episcopis administrandos demandavit. Unde nec hoc sensu vel mansisse Monarchicum regimen, vel mutatum dici potest.

§. 46.

§. 46. Atque ita pleraque argumenta excussa sunt, quibus Becanus, ductu Bellarmini, visibile quoddam ecclesiæ caput, quod loco Christi in cœlos sublati Ecclesiam in his terris regat, probare conatur. Videamus nunc, quàm frigidè ad nonnullas, sibi ex Marco Antonio de Dominis motas objectiones, respondeat. Primùm urget ille Marcus Antonius illud Pauli Rom. XII. *Multi unum corpus sumus in Christo, singulatim autem alii aliorum membra.* Ubi Apostolus sanctos & fideles cujusque ordinis & statûs primùm ad Christum, deinde ad se invicem comparat. *In Christo*, ait, *esse unum corpus*, quod nihil aliud est, quàm Christum esse caput ecclesiæ, tanquam corporis mystici, & singulos fideles esse membra ejus: ad se invicem autem *singulatim alios aliorum membra esse*, h. e. alios aliis servire, sicut membra membris invicem serviunt. Ex quo sequitur, si omnes fideles sibi invicem, ut membra membris serviant, perperam & nullo fundamento, nullo ne colore quidem unum reliquorum omnium caput constitui. At excipit Becanus, comparare Apostolum fideles, tum cum Christo, tum inter se, *quoad internum influxum gratiæ*, & sic omnes à solo Christo, ut membra à capite dependere, h. e. omnes ab ipso gratiam haurire, quâ velut membra in ipso permaneant, & sibi invicem serviant. Verùm si in *externâ gubernatione* fiat comparatio, tum *non solùm Christum, sed etiam Petrum esse caput; illum quidem primarium & propriâ virtute; hunc secundarium, & virtute ab ipso participatâ*, ut habent verba ejus num. 26.

§. 47. Nos respondemus, 1. ampliandum esse scripturæ sensum, non restringendum; nisi aliis scripturæ locis clarioribus restringatur. At nunquam scriptura, quam

Christo

Christo asserit capitis potestatem, ad internum influxum gratiæ sic restringit, ut externum regimen alii visibili capiti adscribat. Imò comparatio Christi cum capite humano aliud subinnuit. Unum enim caput in corpore humano est, quod quidem, quatenus est caput, tantùm per internum influxum spirituum sese exserit, sed mediante illo influxu facit, ut omnia membra exteriùs functiones suas rite obeant. Ad eumdem etiam modum Christus quidem, ut est caput, non nisi per internum influxum gratiæ Ecclesiam suam regit, sed hoc ipso efficit, ut singuli fideles donis gratiæ instructi sibi invicem serviant, adeòq; qui præsunt ecclesiæ, in externo etiam regimine nihil desiderari patiantur. 2. Paulum comparare & æquare fideles haut tantùm, quòd omnes à Christo, velut capite, gratiam quasi spiritum & vitam trahant, verùm etiam, quòd mutuis officiis ac ministeriis, quæ utique ad externum regimen spectant, sibi ex æquo sint devincti. Unde quod dixerat, *singulatim autem alios aliorum membra esse*; id statim enumeratis mutuis membrorum ministeriis sic interpretatur: *habentes autem diversa dona, pro gratiâ, quæ nobis data est, sive Prophetiam pro proportione fidei; sive ministerium in ministrando; sive qui docet, in doctrinâ; qui exhortatur in exhortando* &c. quæ omnia ad externum regimen Ecclesiæ pertinent. 3. Distinctionem capitis in *primarium* & *secundarium* esse confictam & rejiculam, & petere τὸ ἐν δεχῇ, nisi immotis Scripturæ testimoniis fuerit ostensum, præter Christum dari aliquod visibile caput Ecclesiæ, quod unum in quæstione est.

§. 48. Sed enim Becanus ad unum tantùm Scripturæ locum à M. Antonio Pontificiis oppositum respondet; cæte-

cætera, & fortè clariora, quòd eludere non posset, intacta reliquit. Quid enim clarius istis verbis Pauli, Eph. I. *Et omnia subjecit pedibus ejus, eumq; constituit caput super omnia ipsi Ecclesiæ: Quæ est corpus ipsius & complementum ejus, qui omnia implet in omnibus.* Nempe, si omnia implet Christus, & caput est Ecclesiæ super omnia, sine exceptione, sine restrictione; externum etiam ecclesiæ regimen ipsi, ut causæ mediatæ, adscribendum est. Reverà enim Christus interno gratiæ influxu præparat ministros, & membra ecclesiæ, ut quæ ad externum ecclesiæ regimen spectant, rectè & fideliter exsequantur. Annon, quando acus, virtute à Magnete acceptâ, trahit ferrum, hæc ferri tractio Magneti, ut causæ mediatæ, debetur? Quidnî ergò acceptum feratur Christo externum ecclesiæ regimen, quod Episcopi & Pastores non propriâ virtute, sed dotibus gratiæ sibi à Christo capite collatis, adeoq; ipsius auspicio & ductu administrant? Non nostra hæc, sed Pauli interpretatio est, qui Eph. IV. v. 10. 11. 12. explicaturus, quomodo Christus omnia in ecclesiâ impleat, & super omnia caput sit, ita scribit: *Qui descenderat, ipse est, qui adscendit longè supra omnes cœlos, ut impleret omnia. Is igitur dedit alios quidem Apostolos, alios verò Prophetas, alios autem Evangelistas, alios autem Pastores & Doctores, ad concinnationem integram sanctorum, ad opus ministerii, ad ædificationem corporis Christi.* Insuper ad Eph. V. sic uxores dicuntur esse *subjectæ viris, sicut ecclesia subjecta est Christo:* at uxores viris non tantùm animi submissione & Charitatis affectu, sed etiam externâ gubernatione, & sic undique subjectæ sunt. Non autem sibi constaret comparatio, nisi ad eundem modum etiam Ecclesia soli Christo, velut capiti, in externô regimine subjiceretur.

Confer etiam quæ I. Cor. XII, 18. & seqq. eundem in sensum traduntur.

§. 49. Aliam sibi objectionem movet Becanus, cui æquè frigidâ responsione occurrit. *Dices*, inquit; *ergo ecclesia erit biceps, quia habebit duo capita. Respondeo: Nihil hic novum. Nam & regnum Angliæ posset hôc sensu esse biceps, si Rex peregrè proficiscens relinqueret domi vicarium, qui tantisper regnum administraret. Et de facto, regnum Lusitaniæ biceps est, quia regem absentem habet, & Pro-Regem præsentem: utrumque, ut caput, in externo regimine, sed alterum alteri subordinatum. Idem dico de ecclesiâ: biceps est, quia habet duo capita, primarium & secundarium.* Hisce verbis partim falsa tradit Becanus, partim aliena. Falsum est, si Rex Angliæ domi relinqueret vicarium, regnum ejus inde esse biceps. In eô enim capitis ratio & dignitas consistit, ut absolutâ potestate polleat, & minimùm inter homines superiorem non recognoscat. Sicut Pontificem Romanum non aliâ ratione caput ecclesiæ jactat Becanus, quàm, quasi inter mortales superiorem non haberet. At qui est vicarius Regis absentis, sed adhuc superstitis, is utique Regem, cujus est vicarius, superiorem recognoscit, cui etiam reduci facto reddere rationem de singulis à se gestis tenetur. Quo ergo jure caput dicatur regni, qui regis est Vicarius? Pari ratione falsum & rejiculum est, quòd regnum Lusitaniæ biceps esse ait. Unus enim illi præest absolutâ potestate, & is hodiè Rex Hispaniæ: Ergo unum tantùm illius caput est, nec capitis dignitas ad Pro-Regem devolvi potest, nisi cujus est vicarius, is regiâ potestate se abdicet. Quod si autem, missâ capitis appellatione, id solùm urgeret Becanus, vicarium tamen in Regno Lusitaniæ esse constitutum, adeoq;

nihil

nihil obstare, quò minùs etiam Christus in cœlos adscensurus sui vicarium in terris reliquerit; Ad hoc parata est responsio; primùm in Lusitaniâ constare de voluntate Regis vicarium instituentis, sed nõ in Ecclesiâ de voluntate Christi: deinde Regnum non posse administrari, nisi per præsentem quendam, & visibilem magistratum, qui lites dirimat, & pœnas ab immorigeris repetat; at verò Ecclesiam regi sufficienter per influxum gratiæ, ut ministri ejus & singula membra, si vera ac viva membra sint, sponte suum faciant munus; nec ad influxum gratiæ requiri præsentiam Christi visibilem, sed invisibilem sufficere. Imò si visibiliter præsens esset Christus, ac doceret, non nisi insensibili influxu gratiæ capitis potestatem exerceret, docendo quippe idem obiturus munus, quod ministri ecclesiæ obeunt. Ex allatis itaque exemplis partim falsis, partim alienis, nihil minùs efficitur, quàm ut ecclesia sit biceps.

§. 50. Sed nisi allata quadrent; *Accipe*, inquit, *aliud exemplum* ex Apostolo Eph. V. v. 23. *Vir caput est mulieris. At mulier præter virum, qui caput ipsius est, habet etiam naturale caput in suo corpore: igitur biceps est. Et ipsemet M. Antonius, contra quem disputo, tria habet capita: Unum in suo corpore, naturale; alterum in directione spirituali, Christum; tertium in directione Politicà, regem Angliæ. Nec ullum horum negare audet. Triceps igitur est.* Nemo non scurriles Sophistæ nugas hìc animadvertit. Quis ignorat, caput aliquod dici dupliciter; vel *physicè* vel *in genere morum?* Caput physicè dictum est, in quo plura membra physicâ unione conjunguntur, ut cum ipso corpus naturale constituant, cujusmodi est caput in corpore humano. At caput dictum in genere morum est, in quo plura membra unio-

ne morali copulansur, & in unum quasi corpus, sed impropriè & metaphoricè ita dictum, coalescunt: quomodo Rex regni, Christus ecclesiæ, & maritus familiæ, adeoq; & uxoris caput est. Quod si jam caput & corpus, hujusq; membra uno dicantur modo, scilicet vel physicè, vel in genere morum; nihil est falsius, nihil absurdiùs dici aut cogitari potest, quàm uni corpori minimè monstroso duo capita respondere. Annon uxor, ut est corpus naturale, unum tantùm habet caput, & si duo haberet, esset monstrum? Annon ut est uxor & pars familiæ, unum tantùm habet caput, quod est maritus? Imò caput & corpus, hujusq; membra, si in genere morum, adeoq; impropriè & metaphoricè ita dicantur, plures differentias admittittunt. Considerari v. g. Uxor potest non modò, ut materfamiliâs, sed etiam ut Reipublicæ, ut ecclesiæ membrum. Ita præter caput naturale adhuc tria habet capita in genere morum, quia triplicis corporis in eo genere est membrum; sed unius corporis comparatione, etiam in genere morum, non nisi unum tantùm habet caput: nempe ut uxor & materfamiliâs, maritum; Ut membrum reipublicæ, Regem vel principem, aut penes quemcumque est summa potestas; ut membrum ecclesiæ, Christum caput veneratur.

§. 51. Absit autem, ut pariter ecclesia sit biceps. Illa enim sub ratione corporis unum tantùm conceptum & considerationem habet, nimirum, ut est corpus mysticum, cujus singula membra per influxum gratiæ animantur, & in Christo per fidem Dei gratiâ concessam conjunguntur. Ergo unum tantùm illius caput, nempe Christus. Quod si excipiat Becanus, Ecclesiam adhuc aliter considerari sub ratio-

ratione corporis, videlicet quoad externam gubernationem, & sic geminum dari illius caput: Respondendum est, ecclesiam non nisi unâ ratione dici corpus, idque mysticum & spirituale, sed membrorum ita in unum corpus conjungendorum duplex esse medium, *internum gratiæ influxum*, & *externum regimen*, quod in prædicatione Evangelii & sacramentorum administratione consistit; hæc duo media ita sibi invicem esse subordinata, ut alterum ab altero separari nequeat. Neque enim internus gratiæ influxus sibi constaret, nisi prædicaretur Evangelium, & sacramenta rite administrarentur, cum ad hæc quasi organa Deus gratiæ influxum adstrinxerit. Quin imò ipse Servator facit prædicari Evangelium, & sacramenta administrari, quando non modò de idoneis Doctoribus ac ministris prospicit; sed eos etiam necessariis viribus adeò instruit, ut singuli ultrò partes officii sui impleant. Quid ergo in regimine externo inest, quod non à Christo, ut à capite, per internum gratiæ influxum, proficiscatur?

§. 52. Pergit Becanus, & aliam sibi objectionem ex M. Antonio diluendam sumit, quam his verbis effert: *Sicut caput, & reliqua membra hominis constituunt unum corpus integrum naturale: ita Christus & Ecclesia constituunt unum integrum corpus mysticum, quod conflatum est ex capite & membris* 1. Cor. 12. *Ergo omnes præter Christum, qui caput est, sunt membra corporis Ecclesiæ. Ergo nullus præter Christum est caput ecclesiæ.* Indissolubile est argumentum, cui tamen Becanus, sed æquè ac prioribus, frigidam & absurdam responsionem reponit. *Caput*, inquit, *potest dupliciter conferri cum membris* 1. *quoad internum influxum, qui procedit à capite in reliqua membra. Et sic unius corporis unum est caput.* 2.

quoad externum regimen: & sic unius corporis possunt esse duo capita &c. Nobis ad eamdem exceptionem eadem parata est responsio. Falsum est, aliud esse caput, à quo internus gratiæ influxus procedat; aliud, à quo externum regimen, quod in mutuis membrorum officiis & ministeriis consistit. Ut enim à capite humano non tantùm derivantur spiritus in reliqua membra; sed etiam per spiritus membra ita vegetantur & moventur, ut externis functionibus sufficiant; ita & à Christo non modò gratia latè diffunditur in Ecclesiam, sed etiam per gratiam ita excitantur & reguntur singula membra, ut mutuis se officiis & ministeriis prosequantur invicem, & adjuvent. Plura non addimus, quia dudum falsitatis convicta est illa Becani iterata exceptio, nec quæ apud ipsum subjiciuntur, quidquam ulteriori dignum examine continent.

§. 53. Ulteriùs sibi objicit Becanus; Patres non agnoscere caput ecclesiæ, nisi Christum, & in iis citat Augustinũ l. de Unitate ecclesiæ, cap. III. & IV. tract. CVIII. in Joh. & lib. de Pastorib. cap. XIII. Gregoriũ in Psalm. V. pœnitential. & libr. IV. epist. XXXVIII. ut & Chrysostom. homil. XI. epist. ad Ephes. Addit etiam locum Eph. IV, v. 15. *Crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus: ex quo totum corpus compactum & coagmentatum per omnem junctu ram subministrationis, secundùm operationem in mensuram uniuscujusque membri, augmentum corporis facit in ædificationem sui in charitate.* Ad hanc objectionem idẽ quod antè respondet, Apostolum loqui de capite Ecclesiæ, quod *internam gratiam* influit in alia membra; & tale caput esse solùm Christum: Idem docere Patres à M. Antonio citatos; non negare tamen, quin præter Christum sit aliud caput visibile, quod in externo regimine ecclesiam gubernet. Ad crambem toties

ties recoctam, quis non nauseet? Indicium malæ causæ est, eamdem toties reponere exceptionem, in quâ tamen ne species quidem probabilitatis inest. Patet ex analogiâ capitis humani, & res ipsa loquitur, à Christo non modò internum gratiæ influxum, sed & externum regimen, quod in mutuis membrorum officiis & ministeriis consistit, suo modo dependere. Nec aliud l. c. docet Apostolus. Cum enim v. 11. diversa membrorum ecclesiæ ministeria recensuisset, tandem v. 15. & 16. ea in Christum, tanquam causam primam refert, *ex quo totum corpus*, ait, *ita esse compactum & coagmentatum, per omnes suppeditatas commissuras*; Sive ut vulgata reddit versio, *per omnem juncturam subministrationis*, i. e. per omnia membrorum ministeria, ut per gratiam intus agentem, & à Christo acceptam, ac pro hujus mensurâ singula membra mutuis ministeriis in totius corporis ædificationem conspirent. Nec minùs clara sunt memoratorum Patrum verba, quæ apud M. Antonium, unde objectionem hausit, videantur; & addi his aliorum quoque Patrum testimonia possunt, ut Cypriani epist. LV. Hieron. ep. LXXXV. ad Evagr. Greg. M. l. VI. ep. 30. ad Mauritium Augustum, & aliorum.

§. 54. Postremum ex M. Antonio ita sibi objicit Becanus: *Christus est sacerdos in æternum, ut passim docet scriptura, Psal. 19. v. 4. & Hebr. 7. v. 17. Quid ergo necesse est, dare illi vicarium vel successorem in terris? cur summum hic Pontificem quærimus, si Christus Sacerdos & Pontifex noster sempiternum habet Sacerdotium & Pontificatum?* Ad hanc objectionem duo excipit Becanus: Unum per lusum, quod prætermittendum; alterum, ut ipse putat, ad rem, quod diluendum. Distinguit inter *successorem* Christi

sti Pontificis sive sacerdotis, & *vicarium*: Contendit Christo in cœlos subvecto, non potuisse dari successorem, sicut Pontifici veteris Testamenti demortuo successor dabatur, idque unum citato loco Epistolæ ad Hebr. insinuari. At vicarium ipsius designari, aut designatum esse, nihil repugnare, idque unum Romanenses velle ac docere. Nos verò ne de scopo & sensu verborum Ep. ad Hebr. multa differamus, utrumque pro absurdo habemus, Christo in Pontificatu summo vel successorem, vel vicarium datum esse. Nam vicarius dicitur, qui delegatâ potestate idem agit, quod proprius: At Christus Pontifex *seipsum in cruce obtulit*, Hebr. VII. v. 27. & *per proprium sanguinem semel ingressus est in sacrarium*, Hebr. IX. v. 12. Numquid idem facit Pontifex Romanus, aut fecit quisquam alius, post Christum in cœlum subvectum? Quod si regerat Becanus, Christum etiam fuisse Pontificem in externo regimine, & in hoc vicarium ipsi datum; Respondemus, duobus Christi Pontificatum ac Sacerdotium muniis circumscriptum fuisse: 1. *ut pro peccatis nostris seipsum in sacrificium offerret*; 2. ut *pro nobis oraret*. Illud in terris *unicâ sui oblatione consummavit*, ut ejus per vicarium iteratione non sit opus; hoc verò in cœlis etiamnum obit munus, tanquam *qui semper vivit, ut interpellet pro nobis*, Hebr. VII. v. 25. Unde nec in hâc Pontificatûs & Sacerdotii parte Christus vicarium sui designavit, nec designare potuit. Externum verò ecclesiæ regimen, sive nostro & orthodoxo sensu in prædicatione Evangelii, & Sacramentorum administratione mutuisq; membrorum ministeriis ponatur; sive sensu Pontificio in Monarchicâ quadam ecclesiæ gubernatione quæratur; haudquaquam pars Pontificatûs sive Sacerdotii est. Si igitur

Christus

Christus in cœlos adscensurus sui vicarium, non utique in Pontificatu & Sacerdotio reliquit, sed in munere & negotio prorsus alio. Becanus verò dum argumentum M. Antonii de sempiterno Christi sacerdotio impugnat, haut obsurè contendit, Christo in cœlos sublato & subvecto, in ipso Pontificatu vicarium esse datum.

§. 55. Totus hactenus in eo fuit Becanus, ut nobis persvaderet, Christum fuisse visibile caput Ecclesiæ, cùm in his terris ageret, eoq; in cœlos adscensurum sui vicarium reliquisse, ut ita visibile quoddam in ecclesiâ caput perpetuâ successione daretur. Hæc est illa hypothesis, cui velut fundamento innituntur omnia, quæ de Primatu Petri finguntur. Etsi enim dato aliquo Christi vicario, non statim sequitur, Petrum fuisse illum Christi vicarium, cùm etiam alius ex Apostolis esse potuerit: nisi tamen prius præsupponatur, de posteriori frustra contenditur. Idcirco prius ante omnia Becanus sibi demonstrandum sumsit, sed non demonstravit. Falsum est, Christum, cùm in his terris ageret, fuisse visibile caput Ecclesiæ; quia nondum plantata erat ecclesia Christiana, sed per Apostolos plantanda, & in toto terrarum orbe colligenda relinquebatur. Neque si Christus adhuc visibiliter in ecclesiâ esset præsens, tale sibi vendicaret visibile regimen, quale fingunt Pontificii; cùm tali regimine ad conservandam ecclesiam non sit opus. Ergo etiam falsum est, Christô in cœlos subvectô datum esse vicarium, h. e. qui vice illius visibiliter Ecclesiam gubernet. Qui enim ipse visibile regimen nunquam administravit, nec, si adhuc visibilem præsentiam nobis commodaret, administraturus erat; ejus quomodo in visibili regimine dabitur Vicarius?

Hôc uno itaque fundamentô convulsô, corruunt omnia, quæ de primatu Petri prolixè traduntur. Ne autem hanc materiam planè intactam relinquamus, præcipua tantùm, quæ contra nos & M. Antonium disputat Becanus, æquâ judicii & veritatis lance expendemus.

§. 56. Tria ex Marco Antonio examinat & impugnat Becanus; quorum primum est, quòd ille Spiritum Sanctum Christi verum & propriè dictum esse Vicarium statuit. Num hanc M. Antonii sententiam, quam etiam Tertullianus & Autor quæstionum Veteris & Novi Testamenti ab ipsô citati, inculcârunt, solidè refutaverit Becanus, videri potest apud Johannem Crocium in Anti-Becano: Nos nostram illam controversiam nunc non facimus, tum, quia de Christi Vicario quoad visibile regimen nobis hîc est quæstio; At Spiritus Sanctus in ecclesiâ non est visibiliter præsens: tum quia ipsimet ab eâ Marci Antonii sententiâ adsensionem cohibemus, non Becani, sed aliis rationibus inducti, quarum explicandarum alius erit locus.

§. 57. Reliqua autem duo, primatum Petri concernentia, examine & librâ egent; quorum alterum est, quem primatum Petrus non habuerit; alterum verò, quem habuerit. Concessit M. Antonius, competiisse Petro aliquem Primatum; non autem fuisse Primatum *potestatis* & *jurisdictionis* Ecclesiasticæ, sed *ætatis*, *Vocationis* & *Charitatis*; huncq; ex antiquissimorũ Patrum monumentis latè probavit. At Becanus primùm quidem negat & impugnat, Petri Primatum in eo positum fuisse, quòd primus esset *ætate*, *vocatione* & *Charitate* inter omnes Apostolos; deinde pluribus contendit, Petrum habuisse Primatum *potestatis* & *jurisdictionis* ecclesiasticæ, præ aliis omnibus; sive quod idem ipse

ipse putat, fuisse Vicarium Christi, caput ecclesiæ, pastorem ovium Christi.

§. 58. Prius ex patribus ita demonstratum est à M. Antonio, ut frigida & frivola sint omnia, quæ Becanus excipit. Petro à Paulô delatũ esse primatũ *ætatis*, docet Chrysostomus Comm. in Ep. ad Gal. cap. 1. sub finẽ. cum ait: *Post tanta taliaq; beneficia, cùm nihil* (Paulus) *opus haberet Petro, nec illius egeret vocatione, sed honore par esset illi,* (*nihil enim hîc dicam amplius*) *tamen adscendit, velut ad Majorem & Seniorem.* Similiter etiam Hieronymus libro I. cap. 14. contra Jovinianum scribit: *ætati delatum esse,* (sc. ut Petrus eligeretur) *quia Petrus senior erat.* Æquè res aperta de Apostolis cæteris est, nisi quòd *Andreâ Petrum minorem ætate* facit Epiphanius hæres. LI. At Chrysostomus homil. LIX. in Matth. *Didrachmum pro Petrô solutum esse* adferit, *quòd ipse pariter ac Christus foret primogenitus.* Si verò primogenitus; major natu erat Andreâ. Cœterùm & ordine vocationis ac Charitatis affectu, Petrum omnibus fuisse priorem sive superiorem, pluribus Patrum testimoniis Antonius confirmat, quæ apud ipsum videas. Memoratu hîc dignum est, quod ait August. Serm. XIII. cap. I. de verbis Domini: *Petrus in Apostolorum ordine primus, in Christi amore promtissimus, sæpe unus respondet pro omnibus* &c.

§. 59. Properamus nunc ad illius examen Conclusionis, in quâ totum negotium vertitur, scilicet Petrum habuisse primatum *potestatis* & *jurisdictionis* Ecclesiasticæ. Hoc dupliciter putat probari posse Becanus: Primùm ex verbis Christi Joh. XXI. *pasce oves meas.* Deinde ex Patrum monumentis. Verba Christi dicit fusè à se explicata esse lib. II. de Republicâ Ecclesiasticâ c. III. Nempe tria ibi de verbis illis tradit, & quasi satis à se confirmata præsup-

ponit: 1. *Soli Petro verba illa esse dicta.* 2. *Petro verbis illis promissas esse omnes oves.* i. e. omnes fideles, cujuscumque statûs in toto terrarum orbe. 3. *verbô pascendi* intelligi *officium pastorale*, idque tribus potissimùm actibus esse circumscriptum, quos his verbis commemorat: *Primus* (actus) *est, pabulum præbere, & ad pascua ducere. Secundus est, infirmas oves sanare, dispersas colligere, errantes reducere, contra lupos defendere. Tertius est, præesse, regere, gubernare judicare, discernere, castigare.* Confirmat hos tres actus nonnullis scripturæ Veteris Testamenti locis, maximè autem Ezech. XXXIV, 2. 5. & 17.

§. 60. Quibus ita prælibatis, & quasi præsuppositis, hunc in modum argumentatur Becanus: *Cui Christus dixit, PASCE OVES MEAS, illi commisit officium pastorale respectu omnium Christianorum. Atqui Petro dixit Christus; PASCE OVES MEAS; Ergo Petro commisit officium pastorale, respectu omnium Christianorum.* Amplificat hoc argumentum, describendo officium pastorale, & applicando tres modò memoratos actus, cùm ait: *Officium autem pastorale est, oves ad pascua ducere, infirmas curare, dispersas colligere, inter sanas & vitiosas judicare, contumaces cogere, & ad ovile compellere, lupos arcere. Ergo Petrus habuit potestatem hæc omnia præstandi, respectu omnium Christianorum.*

§. 61. Nos concederemus totum argumentum, nisi tertius actus, prout à Becano explicatur, *jurisdictionem & vim coactivam* secum traheret. Regere quidem & gubernare latissimè patet, adeò, ut etiam Pastores Ecclesiæ possint dici regere & gubernare Christianos, quatenus prædicatione verbi Dei eos dehortantur â vitiis, & ad virtutes adhortantur. At sic regere & gubernare oves, ut contumaces

mates cogantur, & ad ovile pellantur, neutiquam est Pastorum Ecclesiæ, nec esse eorum, probant citata à Becano dicta Scripturæ. Explicandum enim est pastorale officium pro subjectâ & habili materiâ. Pascunt gregem suum reges; pascunt etiam ecclesiam Episcopi ac Presbyteri. Illi pascendi officium cum verâ jurisdictione & vi coactivâ conjunctum habent; hi per vim merè directivam exercent. Non itaque valet consequentia: Verbum *pascere*, cùm de Regibus usurpatur, significat regimen, cum verâ jurisdictione & vi coactivâ conjunctum: Ergo etiam cùm de Pastoribus Ecclesiæ adhibetur, tale regimen denotat. At simili consequentiâ utitur Becanus, quasi ita argumentaturus: *Verbum pascendi significat regimen cum verâ jurisdictione, & vi coactivâ conjunctum*, cùm II. Sam. V. v. 2. dicitur: *Tu pasces populum meum Israel:* & Psal. II. v. 9. *Reges* (pasces) *eos in virga ferrea. Ergo etiam, cùm de Petro & aliis Ecclesiæ Pastoribus usurpatur, eamdem significationem habet.* Absurda, inquam, hæc est consequentia; quia locis citatis agitur de pasturâ Regum: à pasturâ autem Regum ad pasturam eorum, qui Ecclesiæ præsunt, non valet consequentia.

§. 62. Imò, ne quidem, cùm de Regibus usurpatur verbum *pascendi*, vi significationis suæ veram *jurisdictionem* & *vim coactivam* importat; nisi vel ablativus instrumenti, (ut Ps. II. *virgâ ferreâ*) vel regia potestas ejus, cui verbum pascendi attribuitur, vel aliud quid in textu expressum hujusmodi conceptum menti ingerat. Alioquin enim per se, & vi significationis suæ verbum *pascendi* à jurisdictione & vi coactivâ est abstractum, h. e. neque includit eam, neque excludit. Quemadmodum verò non

audientius est, qui sic colligit: homo non est animal irrationale, ut bruta animantia, sed rationis particeps: Ergo cum animal de homine usurpatur, animal rationis particeps significat. Ita nec illa valet consequentia; Reges pascunt gregem, tum vi directivâ, tum coactivâ: Ergo cùm verbum *pascendi* de regibus usurpatur, utramque pascendi vim significat. Aliud enim est, aliquid verè de altero prædicari, aliud voce expressâ & prædicati loco jam positâ significari.

§. 63. Quod si autem omnes tres officii Pastoralis actus restringantur ad vim directivam, exclusâ verâ jurisdictione ac vi coactivâ: nihil causæ dicimus, quin concedi à nobis possit totum argumentum. Infertur enim hæc conclusio: Ergo Petrus habuit potestatem exercendi omnes tres actus memoratos, respectu omnium Christianorum, per vim scilicet directivam, absque verâ jurisdictione ac vi coactivâ. Quâ stante conclusione, corruit Pontificiorum sententia, qui statuunt, Petrum esse caput ecclesiæ, & Vicarium Christi, per veram jurisdictionem & vim coactivam.

§. 64. Instat autem Becanus, peculiare quid istis verbis, *Pasce oves meas*, Petro concessum esse præ cæteris Apostolis: idque contra M. Antonium de Dominis probaturus, inquit: *Si Petro nihil datum est amplius per illa verba; PASCE OVES MEAS; quàm quod anteà datum erat per illa; SICUT MISIT ME PATER, ET EGO MITTO VOS; jam nihil novi accepit per illud, PASCE, quod anteà non habuerit meliori & ampliori modo (ut tu interpretaris) per illud, MITTO VOS. Quid ergo necesse fuit, Christum uti tot ceremoniis circa Petrum, si nihil peculiare voluit illi dare? Quorsum illa trina interro-*

terrogatio? Simon Johannis, diligis me plus his? Simon Johannis, diligis me? Simon Johannis, amas me? Quorsum triplex illa commissio; Pasce agnos meos, Pasce agnos meos, Pasce oves meas? Otiosè hæc omnia facta esse necesse est, si nihil datum est Petro, quod anteà datum non fuit. Imò, si quod anteà meliori & ampliori potestate datum fuit, posteà deteriori & restrictiori concessum est. Hæc Becanus citato libr. II. de republ. Eccles. cap. III. n. 12.

§. 65. Nempe pluribus asseveraverat M. Antonius, nihil Servatorem concessisse Petro iis verbis, *pasce oves meas*, quod non omnibus antè Apostolis contulisset, cùm sic eos alloqueretur Joh. XX. *sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* Contra hanc sententiam ita vult argumentari Becanus: *Cui Christus post ternam interrogationem, an se diligeret, ter commisit pasturam ovium suarum, illi peculiare quid præ cæteris Apostolis concessit. Atqui Christus Petro post ternam interrogationem, an se diligeret, ter commisit pasturam ovium suarum: Ergo Christus Petro peculiare quid præ cæteris Apostolis concessit.*

§. 66. Majorem propositionem ecquis non videt omni fundamento destitui? *Peculiare quid*, inquit Becanus, *Christus commisit Petro istis verbis, PASCE OVES MEAS: Quia ter hæc verba repetiit, & ter quoque Petrum, num se diligeret, antè interrogaverat.* Sed quo medio termino, quâve ratione confirmabit Becanus, in ternâ illa interrogatione, & huic subjunctâ totuplici pasturæ ovium commissione, tantam vim esse positam, ut peculiare quid Petro collatum oporteat? Ne quid verò effugii Becano sit relictum, rem clariùs & distinctiùs explanabo. Aut peculiare quid Petro concessum esse, probat Becanus ex istis verbis,

bis, *pasce oves meas*, aut ex *ternâ verborum horum repetitione & præmissâ totuplici interrogatione*. Si prius elegerit; jam regerimus cum M. Antonio, soli quidem Petro dictum esse, *pasce oves meas;* sed idem paulò ante, licet non iisdem, æquivalentibus tamen verbis commissum esse omnibus Apostolis, cùm sic alloqueretur eos Servator: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* Et Matth. XXVIII. *Euntes docete omnes gentes* &c. Sin posterius statuat Becanus; probandum ipsi est, ternâ commissione & totuplici præmissâ interrogatione peculiare quid Petro commissum esse. Quid? si Servator iis ceremoniis, quas vocat Becanus, peculiare quid quidem significare voluit, sed non peculiarem potestatem conferre? Neque enim improbabile est, cùm Petrus ter negâsset Christum, ternâ confessione in pristinum gradum fuisse restitutum, unde ternâ abnegatione exciderat; simulq; admonitum, si Christum diligeret, ipso facto ut amorem ovibus ipsius pascendis probaret, quòd sine fideli pastoralis officii administratione sincerus erga Christum amor constare sibi non posset. Hinc ita limitanda Major; *Cui Christus post ternam interrogationem, an se diligeret, ter commisit pasturam ovium, illi aut peculiare quid præ cæteris Apostolis concessit, aut ternâ istâ interrogatione & commissione saltem peculiare quid significare voluit.* Ita totum concedi argumentum potest. Neque enim nos negamus, triplici istâ Christi interrogatione ac Petri confessione, ut & subjunctâ totuplici pasturæ ovium commissione, peculiare quid significare Servatorem voluisse. Quia autem, quidnam illud sit, clarè ex contextu non perspicitur: idcircò variæ veterum, quas notavit M. Antonius, ejus rei suppetunt interpretationes. Nobis autem id maximè visum

vero-

verosimile, ternam interrogationem Christi & Petri confessionem ternæ abnegationi illius respondisse, prout id modò exposuimus.

§. 67. At largiamur Becano, non modò Christum istis verbis significare peculiare quid voluisse, sed etiam concessisse: Unde probabit jam Becanus, illud ipsum, quod peculiariter Petro dicit esse concessum, esse *primatum potestatis & jurisdictionis* ecclesiasticæ, cùm Christi verba de eo taceant? Neque enim sequitur: Christus post ternam interrogationem verbis his ter repetitis, *pasce oves meas*, peculiare quid Petro concessit: Ergo primatum potestatis jurisdictionis ecclesiasticæ concessit; quasi non potuerit etiam aliquid peculiariter Petro præ cæteris Apostolis, quàm primatus jurisdictionis, concedi; aut quasi à genere ad speciem valeat consequentia.

§. 68. Antequam ab hâc doctrinâ abeamus, lubet etiam videre & discutere argumentum, quod contra B. Calixtum ex verbis Christi nectunt Moguntini. *Quicumque*, inquiunt, *propter gregem perpetuò conservandum sapienter instituit pastorem ordinarium, is etiam instituit pastorem perpetuum. At Christus propter ovile suum visibile, perpetuò & usque ad consummationem seculi conservandum instituit pastorem unum visibilem, ordinarium. Ergo Christus instituit pastorem ovilis sui unum perpetuum. Jam subsumo: sed non est hic perpetuus in personâ S. Petri. Ergo in ejus successoribus. Ergo idem, qui S. Petrum, etiam successores instituit, ac usque ad consummationem seculi, cuicumque ad id munus legitimè electo, confert immediatè & per se potestatem supremam, in universam militantem ecclesiam.*

§. 69. Mirè hoc argumento se jactant Pontificii, quod tamen uno quasi spiritu dissipaveris. Major propositio relativa est, cujus pars prior, cùm totidem verbis repeti in minore deberet, quot & quibus in majore efferebatur, plus habet in minore, quàm in majore. Hîc enim de eo sermo est, qui instituit Pastorem ordinarium, non additis epithetis his, *unum, visibilem.* Ibi verò cum de Christo subsumitur, epitheta hæc inseruntur. Non itaque majori propositioni subsumtio respondet, nisi & illi memorata Epitheta inseras, hunc in modum: *Quicumque propter gregem perpetuò conservandum sapienter instituit pastorem unum perpetuum* &c. ita [illegible] in medio major [illegible] ganda est minor. Contendunt Muntini, minorem ex verbis Christi esse certam, secundùm communem sanctorum Patrum & Conciliorum generalium expositionem. Hoc verò nunquam nobis persuadebunt. Primùm enim verbis Christi: *pasce oves meas;* neque expressè significatur, quod est in minore propositione, neque per necessariam consequentiam ex iis deduci potest. Hanc ex iis consequentiam admittimus: Christus dixit Petro, *pasce oves meas;* Ergo Petrum visibilem ovium suarum, imò & ordinarium Pastorem instituit. Sed Petrum unum instituisse Pastorem, nec reliquis pari potestate officium Pastorale commisisse, ex verbis illis hautquaquam sequitur. Unius enim positio non est alterius exclusio. Quando itaque Petro dixit Servator: *pasce oves meas;* non idcircò reliquos Apostolos, quibus ita non dixit, à Pastorali officio exclusit, nisi alio evidentissimo Scripturæ testimoniô excluſi ostendantur. Deinde S. Patres & Concilia Generalia Scripturam ex Scripturâ exponunt & interpretantur. Jam verò alios quoque

præter

præter Petrum constitutos esse Pastores, ex aliis Scripturæ locis abundè constat. Paulus ad Eph. IV, 11. ait: *Is igitur dedit alios quidem Apostolos, alios verò Prophetas, alios Evangelistas, alios Pastores & Doctores.* Imò ipsos Apostolos constitutos esse Pastores, patet ex verbis Christi, ita eos alloquentis Joh. XX. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos*, (scilicet ad pascendas oves meas,) & Matth. cap. ultimo: *Mihi data est omnis potestas in cœlo & in terrâ. Exeuntes itaque docete omnes gentes* &c. Jam S. Patres & Concilia Generalia vim inferrent Scripturæ Sacræ, si, quibus Apostolis non dictum est, *pasce oves meas*, eos à Pastorali officio vellent exclusos; cùm tamen alibi idem officium, licet non iisdem, æquivalentibus tamen verbis demandatum omnibus legatur. Et sanè contrarium ex antiquissimorum Patrum monumentis facilè edoceri posset, si ratio instituti ferret.

§. 70. Instabunt Moguntini: *Cui commissæ sunt omnes Christi oves, ei & commissi sunt Apostoli, cùm & illi ex ovibus Christi fuerint. Atqui Petro commissæ sunt oves Christi omnes. Ergo & Petro commissi sunt Apostoli, & per consequens, est unus & supremus omnium Christi ovium Pastor.* Major & Minor examine & librâ egent. Et primùm quidem, quod minorem attinet, tota ejus vis sita est in verbis Christi, *pasce oves meas.* Largimur Pontificiis, Christum iis verbis omnes oves suas Petro commisisse. De communi enim loquendi usu distributionem notant pronomina possessiva *Meus, Tuus, Suus*, si nominibus pluralibus jungantur, & nulla sit addita exceptio, vel restrictio; sicut, si cui libros meos asservandos committerem, utique omnes meos libros commisisse intelligerer, nisi quosdam claris verbis excepissem. Ad

hoc, ut alibi, ita etiam hic ampliandus est scripturæ sensus, quoad subjecta materia patitur. Cæterùm, quando oves suas commisit Petro Christus, aut eas intellexit oves, quas tum habebat, aut, quas post sui adscensionem erat habiturus. Si quas jam habebat, solos Israelitas commisit, siquidem apertè dicit Matth. XV, 24. *Non sum missus, nisi ad oves, quæ perierunt, domûs Israel.* Neque enim in diebus vitæ mortalis, alios, præterquam Israelitas, Salvator docuit. Sin verò commisit, quas post sui adscensionem in toto terrarum orbe collecturus erat oves: jam universalem Pastorem fecit Petrum; non autem hunc solùm, sed & reliquos Apostolos, cùm omnibus dictum sit: *Euntes, docete omnes gentes.*

§. 71. De Majore præsupponendum est, Apostolos posse considerari dupliciter. 1. *ut sunt Apostoli*, hoc est, prout ad prædicandum Evangelium, & ad pascendas Christi oves in universum terrarum orbem fuêre ablegati. 2. *Prout ipsi etiam ad salutem æternam perducendi*, & sic verbo Dei pascendi. Priori modo non sunt oves, sed ovium Pastores. Posteriori verò ratione & ipsi ad ovile Christi pertinent, Christumq;, ut Pastorem suum oves, sequuntur. Hinc major ita limitanda est: *Cui omnes Christi oves commissæ sunt, ei & Apostoli commissi sunt, in quantum sunt Christi oves.* Ita totum concedi argumentum potest. Infert enim hanc conclusionem: *Ergo & Petro commissi sunt reliqui Apostoli, non in quantum Apostoli, sed in quantum oves Christi.* Nempe etsi Petrus & omnes Apostoli Apostolicâ potestate & officio erant pares, ut nemo quisquam eorum superior censeri posset; tamen in quantum & ipsi essent oves Christi, & salutem æternam sibi propositam haberent, nec à

peeca-

peccatis penitus viverent immunes; alter alterum, veluti Pastor ovem, erudire, increpare, corrigere poterat & debebat. Petro itaque dici possunt commissi & Apostoli, non in quantum Apostoli, sed in quantum Christi oves. Unum autem Petrum esse supremum Pastorem, ex commissâ universali omnium Christi ovium curâ, non sequitur. Nam & cæteris commissa est omnium Christi ovium cura, his verbis: *Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium* &c. Aut igitur Apostoli comparantur ad se invicem, aut ad alios, qui extra illorum sunt ordinem. Si ad alios, quos extra suum ordinem erudire, & veluti oves pascere tenebantur; sunt omnes missi in universum terrarum orbem, adeoq; Apostolicâ potestate & officio pares. Sin verò ad se invicem; jam sibi invicem sunt Pastores, neque tantùm Petro data est potestas increpandi & corrigendi alios Apostolos, si peccarent, sed & aliis, erudiendi, & castigandi Petrum, si iste delinqueret: sicut Petrum informavit & correxit Paulus ad Gal. II, 11. *Cùm autem*, inquit, *venisset Petrus Antiochiam, in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat.* Plura eâ dere videas v. 17.

§. 72. Marcus Antonius de Dominis aliâ responsione argumentum propositum diluit, cum l. I. de Republicâ Ecclesiasticâ cap. VIII. n. 6. scribit: *Atqui etiam Apostolos oves Christi fuisse inquiunt, & consequenter illo generali dictô inclusos (PASCE OVES MEAS.) Alioquin excludendi à numero ovium Christi Apostoli viderentur. Sed Apostoli etiam cum Petro, erant quidem oves Christi, sub ipso primo & vero Pastore Christo, juxta dictum Augustini tract. 123. in Joh. animam suam se positurum pro Christo, putabat Petrus, pro liberatore liberandus, cùm Christus venisset animam suam positurus pro suis ovi-*

 bus,

bus, in quibus erat & Petrus. Idem etiam de Christo loquens ait Sermone L. de Verbis Domini: *Ergo & Pastor ipse est Pastorum, & Pastores multi sunt unius Pastoris, & oves cum Pastoribus sunt sub Pastore. Nihilominus tamen simul etiam Pastores erant: Nam, ut inquit Augustinus* lib. de Pastoribus, cap. XIII. *De bonis ovibus fiunt boni pastores. Quatenus ergo pastores erant, oves non erant. Et Petro atque Apostolis commendantur oves, quæ oves tantùm essent, & non pastores; Pastores enim omnes, etiam Petrus, quatenus oves, erant sub solo Pastore Christo.* Hæc M. Antonius; quorum summa huc redit; Petro commissas esse Christi oves, & omnes quidem, quæ oves tantùm essent, nec alio respectu simul pastores, sive quæ pascerentur tantùm, non etiam pascerent: Apostolos autem & Pastores ipsius curæ commissos non esse, quòd Christum pastorem omnes, ne Petro quidem excepto, sequerentur.

§. 73. Sed enim excipere possunt Pontificii; Christum Petro oves suas sine exceptione, sine restrictione commisisse; & cùm ampliandus sit Scripturæ sensus, quoad subjecta materia patitur, idcircò non exemtas rectè censeri eas oves, quæ alio respectu essent simul pastores, nisi alio evidentiori Scripturæ loco exemtas constet. Nobis verò, ne huic exceptioni esset locus, accommodatior visa est prior responsio, quâ primùm concessimus Pontificiis, Petri curæ commissos etiam Apostolos, non autem ut Apostolos, sed ut Christi oves. Deinde, ne peculiare quid præ cæteris Apostolis idcircò accepisse existimetur Petrus, pari ratione evicimus, aliorum Apostolorum curæ commissum & Petrum esse, non, ut tanquam Apostolus ab iis dependeret (sic enim omnes pares) sed ut tanquam Christi ovis ab iis admoneretur & corrigeretur, sicubi exorbitaret:

ret: sicut admonitus à Paulo, & correctus est loco citato. Denique, hæc mutua fuisse Apostolorum officia, ostendimus; nempe, ut singuli singulos invicem, veluti pastores oves, sicubi esset opus, admonerent, increparent, corrigerent.

§. 74. Dices: *si Petro omnes commissæ sunt Christi oves, omnes pavit: Atqui non omnes Christi oves pavit*: Ergo. Major propositio inde patet, quia non præsumitur Petrus defuisse officio suo; Defuisset autem haud dubiè, si pascendas suscepisset omnes Christi oves, nec tamen omnes pavisset. Minor constat ex Gal. II, 9. ubi legimus convenisse inter Apostolos, ut Paulus & Barnabas apud Gentes; sed Petrus, & cum ipso alii, apud circumcisos (i. e. Judæos tantùm) apostolatu fungerentur. Accedit, quòd ἀδύνατον sit, unum mortalem hominem omnes Christi oves in toto terrarum orbe pavisse.

§. 75. In promtu est responsio, si inter *potestatem pastoralis officii*, & *ejus usum sive exercitium* distinguatur. Sicut reliquis Apostolis, ita & Petro data est potestas pascendi omnes Christi oves, in toto terrarum orbe. Hæc enim erat vis & ratio Apostolici muneris, ut, quòd potestatem attinet, non esset adstrictum ad certam ecclesiam, sed per totum terrarum orbem quaquà versum diffunderetur. Quoquò enim proficisci vellent Apostoli, Evangelium prædicare, integrum ipsis erat, nisi vel pacto, vel singulari Dei instinctu aliò compellerentur. At verò usus & exercitium hujus potestatis non nisi aliquas intra ecclesias & terræ plagas substitit, quòd fieri non posset, ut mortalis homo in toto terrarum orbe Evangelium prædicaret, & sic omnes Christi oves pasceret. Respondemus jam ad argumentum,

tum, negando majorem: à potestate enim universali, ad usum & exercitium universale, non valet consequentia. Neque enim sequitur: *Petro data est potestas pascendi omnes Christi oves, in universô terrarum orbe: Ergo Petrus omnes Christi oves pavit.*

§. 76. Et tantum de illo Servatoris dicto; *pasce oves meas.* Urgeri ab aliis solent adhuc alia scripturæ dicta; putà, quòd Servator dixit Petro Matth. XVI. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam* &c. Item: *Tibi dabo claves regni cœlorum: & quodcumque ligaveris* &c. Verùm his quoque verbis non significari collatum Petro aliquem primatum potestatis & jurisdictionis ecclesiasticæ, dudum ab aliis, & cumprimis à M. Antonio l. I. de Republicâ Ecclesiasticâ c. VI. & VII. ut & à Causabono Exercit. XXV. luculentissimè ostensum est, ut hâc nos operâ meritò supersedere possimus. Quæ autem ex antiquitate affert Becanus, plus non probant, quàm Petro primatum aliquem ordinis, sive honoris & dignitatis, competiisse. Nihil enim frequentius est apud Classicos Scriptores, quàm ut, qui honore & dignitate ac ordine omnibus societate sibi conjunctis antecellit, is caput eorum & Princeps & coryphæus dicatur: licet plus penes ipsum potestatis, quàm penes reliquos non resideat: uti solidè hoc confirmat Casaubonus locô citatô. Quod si ergo quidquam contra nos obtinere volunt Pontificii, probandum ipsis est, cùm S. Patres Petrum caput vel principem, vel coryphæum Apostolorum, vel aliis similibus titulis honorant, his eos primatum dominationis & jurisdictionis significare voluisse; quod ex ipsorum scriptis & contextu nunquam probabunt, nisi suas conjecturas & contortas interpretationes pro iis venditent, quibus contradici sit nefas. §. 77.

§. 77. In primâ quasi acie Becanus eos collocat, qui Petrum Christi vicarium dixerunt. Primùm allegat Ambrosium, quem tanquam satis antiquum Scriptorem meritò audimus, licet seculi quarti postremis annis floruerit. Non autem is Petrum vocat Christi *vicarium* exclusivè, quasi non etiam alii præter Petrum, in pari negotiô, Christi vices subeant; &, quod potissimum est, non externæ gubernationis, sed amoris veluti vicarium nuncupat, cùm ad cap. XXIV. Luc. sub fin. scribit: *Dominus non dubitabat, qui interrogabat, non ut disceret, sed ut doceret, quem elevandus in cœlum amoris sui velut vicarium relinquebat.* Deinde laudat etiam Anshelmum, Bernhardum, Gennadium Scholarium, quos veluti recentiores non magnoperè curamus, quamquam, si inspiciantur, & ipsos Pontificiorum causæ parum favere, facilè deprehendas.

§. 78. Prætereà urget Becanus, Petrum dici *caput ecclesiæ* ab Hieronymo Psalm. XIII. sed qualis consequentia: Ergo Hieronymus Petro primatum jurisdictionis & dominationis asserit? Imò Hieronymus satis hac in re se explicat, cùm lib. 1. contra Pelagianos cap. IV. sub fin. scribit: *Ut Plato fuit princeps Philosophorum: ita Petrus fuit Apostolorum.* Quâ similitudine manifestò primatum jurisdictionis & potestatis à Petro removet & excludit. Neque enim Plato ita Philosophorum fuit princeps, ut omnibus Philosophis dominaretur & imperaret.

§. 79. Quæ ex Optato Milevitano objiciuntur, aut objici possunt, eorum examen & solidam discussionem apud Casaubonum, Exercitat. XV. n. 140. videas. Neque quæ ex Chrysostomo, & aliis homiletico studio deditis proferuntur, attendenda sunt. Constat enim, eos sæpe Oratorum

rum more amplificâſſe & exaggeráſſe ea, quæ ſtylo effingerent, & quæ perſuadere populo vellent; ut ita aculeos in auditorum animis relinquerent.

§. 80. Plura de primatu Petri occurrunt apud Becanum, ſed pleraque infirmiora & abſurdiora ſunt, quàm ut iis refellendis immorari ſit opus: niſi fortè illud diſcuſſione eget, quòd ex pluribus Petri prærogativis aliquem poteſtatis & jurisdictionis primatum certò putat colligi Becanus. *Variæ enim*, inquit, *ſunt prærogativæ & privilegia illius* (Petri) *ex quibus colligitur primatus & eminentia ejus ſuper alios Apoſtolos. Non quòd unaquæque prærogativa per ſe ſufficiens ſit, ad aſtruendum primatum, ſed quòd omnes ſimul ſumtæ id faciant.* Tredecim hujusmodi prærogativas recenſet, ſed omnes ita comparatæ ſunt, ut neque ſingulæ ſeorſum, neque omnes ſimul ſumtæ primatum jurisdictionis inferant & deſignent. Non, inquam, ſingulæ ſeorſum: quia non ſunt jura majeſtatis, quæ aliàs certò ſummam poteſtatem arguunt, ſed aliæ quævis differentiæ, quæ absque jurisdictione & dominatu bene ſibi conſtant, cùm ſingulis alia ſubſit ratio, uti poſteà oſtendetur. Nec omnes ſimul ſumtæ hujusmodi primatum inferunt; quia per hoc quòd conjunguntur & ſimul ſumuntur, non major vis ipſis accedit, quàm quæ & quanta ſingulis ſeorſum ineſt. Firma hæc eſt conſequentia: Nulla earum prærogativarum, quas Petro aſſerit Becanus, eſt jus majeſtatis: Ergo nec ſimul ſumtæ majeſtatem ſive ſummam poteſtatem arguunt, ne quidem ſi centum aliæ ſimiles prærogativæ adderentur. Sed ipſas prærogativas nunc videamus.

§. 81. Prima earum eſt, *Chriſtum ſoli Petro inter omnes Apoſtolos proprium nomen mutâſſe, & pro Simone Cephan dixiſſe.*

se. Sed quis sanæ mentis ex mutatione nominis primatum jurisdictionis colligeret? Neque enim nominis significatio hujusmodi primatum subinnuit, neque ejusdem mutatio. Non nominis significatio; *Simon* enim auditorem significat; sed *Cephas* petram; fortè quòd Petrus primùm esset auditor, sed postremùm in fide confirmatus, inconcussam suam constantiam probaret. Neque nominis mutatio rem conficit: huic enim aliam subesse rationem, docent antiquissimi Patres. Chrysostomus homil. XVIII. in cap. 1. Johan. docet, Christum hâc impositione ostendisse, se eundem esse, qui æquè Vetus ac Novum Testamentum dederit: nam ab ipsô, quoque in Veteri Testamento mutata fuisse nomina *Abraham*, *Saræ*, *Jacobi*. Vide M. Antonium lib. 1. de Republicâ Ecclesiasticâ, cap. VI. n. 51.

§. 82. Secunda prærogativa est, *Petrum*, quando ab Evangelistis nominantur Apostoli, *semper primô locô poni & nominari:* quasi verò qui est primus loco & ordine, sit etiam primus potestate ac jurisdictione. Sanè quodcumque collegium ordine sociatum est, in eo datur, qui loco & ordine sit primus: neque enim omnes primi esse possunt, sed præcedere alios, alios sequi necessum est: non tamen statim, qui loco & ordine est primus in Collegio, is in cæteros potestatem & jurisdictionem obtinet. Contrarium enim experientia quotidiè nos edocet. Faciamus itaque, Petrum semper loco & ordine fuisse primum inter Apostolos; nihil ad rem: probandum erat Becano, Petrum fuisse primum potestate & jurisdictione, aut ex primatu ordinis & primatum jurisdictionis sequi, invicto argumento erat demonstrandum. Sed neque illud est perpetuum, Petrum inter Apostolos primo loco poni & nominari. Nam Joh. I.

v. 44. Petrus post *Andream* nominatur. Similiter I. Corinth. III. Kephas, (qui est Petrus) post *Paulum* & *Apollo*; & ad Gal. II. post *Jacobum* memoratur.

§. 83. Tertia prærogativa est, *Scripturam de Petro loqui tanquam de Principe, de aliis Apostolis tanquam de subditis.* Hoc dicit Becanus, sed non probat. Vellemus, protulisset loca, ubi scriptura vel leviter subinnueret, reliquos Apostolos Petro veluti Principi fuisse subditos. Non est, quòd cum Bellarmino objiciat nobis illa loca, ubi scriptura de Petro & reliquis Apostolis distinctè loquitur, ut Luc. VIII. *dixit Petrus, & qui cum eo erant.* Et Act. II. *stans autem Petrus cum undecim.* Eodem modo distinguuntur Luc. IX. Marc. I. & I. Corinth. IX. Verùm quæ consequentia: Distinctè nominantur Petrus & Apostoli reliqui: Ergo Petrus in Apostolos reliquos, ut Princeps in subditos, potestatem & jurisdictionem obtinuit. Neque semper ita distinguuntur, sed aliquando ut pares nominantur, vel etiam discipulorum nomine omnes confunduntur. Cùm Marcus ait Cap. V, 31. *Et dixerunt ei discipuli*: quis neget temerè, *discipulorum* nomine, & Petrum comprehendi? Sic Petrus, Jacobus & Johannes indistinctè veluti pares, conjunguntur Luc. VIII, 51. & cap. IX, 28. Quòd autem Christus, cùm per mulieres resurrectionem suam curavit discipulis denunciari, nominatim expressit Petrum, ideò factum esse, pia est veterum conjectura; ne Petrus, suppressâ sui mentione, se ob trinæ abnegationis crimen, discipulorum numerò excidisse suspicaretur. Hinc eâ de re ita Theophylactus comm. in Marc. cap. XVI. *Si venissent mulieres, & dixissent, quòd præceptum eis esset, ut annunciarent discipulis: regessisset Petrus: Ego negavi eum; jam non sum illius discipulus* &c.

§. 84.

§. 84. Quarta prærogativa est, quòd *Petrus sæpe loquatur nomine omnium Apostolorum*: quasi verò non possit aliquis nomine omnium loqui, quin potestatem & jurisdictionē in illos obtineat. Cyrillus in Johann. lib. IV. cap. IV. v. 61. sub init. scribit: *Decet enim non omnes confusè, nec prosilientes impudenter, quasi ruptâ uti oratione: sed cedere iis, qui & consiliô & ordine præpositi sunt. Propterea Paulus quoque ait: Prophetæ duo aut tres, & vicissim loquantur. Opus igitur erat divinæ comprobatæ prudentiæ, soli committere responsium illi, qui ordine major erat.* Ex eo itaque, quòd Petrus nomine omnium locutus est, primatum fortè ordinis colligas, potestatis & jurisdictionis neutiquam.

§. 85. Quinta est: quòd *soli Petro facta sit prima revelatio Divinitatis Christi*, Matth. XVI. Hanc prærogativam fingit Becanus; non ex Scripturâ, nec ex antiquorum Patrum monumentis probat. Constat ex locô citatô Matthæi, solum quidem Petrum nomine omnium Christo interroganti respondisse, & confessionem de ipso edidisse; sed inde non sequitur, quòd reliqui, quasi hactenus denegatâ sibi Divinitatis Christi revelatione, parem de eô confessionem edere non potuerint. Neque obstat, quòd Christus *Beatum* prædicabat Petrum, ob illam confessionem, & quòd *caro & sanguis non revelasset ipsi, sed Pater suus, qui in cœlis est.* Sicut enim aliàs uniùs positio non est alterius exclusio: ita ex eô, quòd unus prædicatur, neutiquam sequitur, aliis non idem deberi elogium. Frivola itaque hæc est consequentia: Nemo præter Petrum locô citatô prædicatur beatus ab adeptâ Divinitatis Christi revelatione: Ergo reliquis non contigerat eadem revelatio, ut æquè beati dici potuissent. Contrarium satis superq; inde

patet, quòd jam ante omnes Apostoli eandem fidem professi erant, cùm Matth. XIV, 33. dicerent: *Verè Dei filius es.* Et Joh. VI. *Nos credimus & cognovimus, te esse Christum, filium illum Dei viventis.* Imò, nisi omnium hæc fuisset fides, ex divinâ revelatione; quomodo Petrus nomine omnium eamdem potuisset profiteri? Esto autem, tunc soli Petro factam fuisse Divinitatis Christi revelationem: Numquid inde sequitur, ut potestatem & jurisdictionem in reliquos obtineat? nihil hâc sequelâ excogitari potest absurdius.

§. 86 Sexta prærogativa est: quòd *soli Petro inter Apostolos promissa sit stabilitas fidei & cathedræ:* scilicet verbis Christi Matth. XVI. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, & portæ inferorum non prævalebunt adversus illam. Quô locô,* inquit Bellarminus, *promittitur perpetua stabilitas, non solùm Ecclesiæ, sed etiam petræ, super quam ædificata est Ecclesia.* Nos concedimus, Ecclesiæ promitti hîc stabilitatem, adeò ut contra eam portæ inferorum non sint prævalituræ. Et quamquam, quid per Petram intelligatur, controversum est: illam tamen inconcussam & perpetuam fore non negamus, cùm fundamentum sit ecclesiæ. Firma enim est consequentia: Ecclesia est contra portas inferorum perstitura: Ergo etiam petra, super quam ædificata est Ecclesia, inconcussè perstabit. Per nos etiam licet, ut per *Petram* intelligatur *fides Petri*, quia ecclesia non perstaret immota, nisi eandem cum Petrò fidem perpetuò profiteretur. Sed Petro commissam esse stabilitatem cathedræ, quam ipse insideret, & ex quâ potestatem & jurisdictionem in omnes Apostolos & Ecclesias exerceret, ex verbis illis Christi haudquaquam conficitur. Aut enim per *Ecclesiam*, aut per *Petram*, super quam ædifi-

ædificata est ecclesia, *cathedra Petri* intelligitur. Non per ecclesiam: quia de sententiâ Pontificiorum cathedra Petri est alligata ad certum locum, & intra Romanam collocata ecclesiam; cùm interim ecclesia Christi, cui hôc locô stabilitas promittitur, per totum terrarum orbem sit dispersa. Adhoc res ipsa loquitur; si assignata Petro peculiaris fuisset cathedra, non ipsam ecclesiam, sed in ecclesiâ eam fuisse exstituram. Neque etiam per *Petram* cathedra hujusmodi intelligi potest. Petra enim est fundamentum, cui structura ecclesiæ innititur: At cathedra Petri, quam fingunt Pontificii, hujusmodi fundamentum non est, sed potiùs & ipsa super fundamentum aliquod superstructa est; siquidem ecclesiæ, & collocatæ in ecclesiâ cathedræ unum idemq; esse fundamentum debet. Utcumque igitur exponatur Petra, super quam Christus se ecclesiam suam ædificaturum dicit, fixum sanè & undique indubitatum est, eâ voce non designari peculiarem Petri cathedram. Quin imò, cùm Bellarminus lib. I. de Pontifice Romanô, c. X. quatuor *petræ* interpretationes recenseat, & unam ex illis eligat; neque profectò, quam ipse eligit, neque cæterarum trium ulla huc spectat, ut per petram peculiaris quidem Petri cathedra intelligatur: neque quisquam antiquorum Patrum sic vocem interpretatus est.

§. 87. Pontificii per *petram*, super quam ædificata est ecclesia, ipsum *Petrum* intelligunt. Esto huic expositioni locus: non tamen sic Petro promissa est peculiaris cathedræ stabilitas. Neque enim idem est, super Petrum ædificatam esse ecclesiam, ac Petro peculiarem assignatam esse cathedram, quam insideret in ecclesia, ex quâ potestatem & jurisdictio-

risdictionem in alios Apostolos & alias ecclesias exerceret. Neque etiam hoc ex illô per consequentiam conficitur, nisi solidè demonstres, non potuisse super Petrum ædificari ecclesiam, nisi mediante peculiari cathedrâ, ex quâ potestatem & jurisdictionem exerceret. At potuisse absque tali cathedrâ super Petrum ædificari Ecclesiam, quis neget? Ipse Paulus de se scribit, quòd, ut, *prudens architectus, fundamentum posuerit*, I. Corinth. III, 10. & Eph. II, 20. fideles dicuntur *superstructi super fundamentum Apostolorum.* Hinc ita argumentamur: Quomodo super reliquos Apostolos ædificata est ecclesia, ita etiam super Petrum; nisi evidentissimô scripturæ locô dispar ostendatur ratio: Atqui super reliquos ædificata est, mediante doctrinâ, absque peculiari tamen cathedrâ: Ergo & super Petrum, mediante doctrinâ, ædificata est. Neque profectò alia præter doctrinam ratio suppetit, quâ super Apostolos exstructa ecclesia dici possit, cùm non, nisi mediante ipsorum doctrinâ, in totô terrarum orbe plantata sit ecclesia.

§. 88. Septima: quòd *Christus pro solô Petrô & se ipsô voluerit tributum solvi in Capernaum.* Nos miramur, hanc tributi solutionem pro prærogativâ venditari; cùm omnibus esset commune, ut in quâ civitate fixum haberent domicilium, in eâ tributum solverent. Christus itaque & Petrus etiam solverunt; quia uterque Capernaumi habuit domicilium, ut de *Christô* evidens est ex Matth. IV, 13. & cap. IX, 1. de *Petrô* autem Matth. VIII. Marc. I. & Luc. IV. Quod si etiam Apostolorum reliqui ibidem habitassent, haud dubiè & ipsi tributum fuissent soluturi: tantum abest, ut hæc solutio singularis Petri prærogativa fuerit. Nec si fuisset, inde primatus potestatis & jurisdictionis conficeretur.

tur. Qualis enim consequentia: Hoc peculiare & proprium erat Petro, præ cæteris Apostolis, ut unà cum Christô Capernaumi tributum solveret: Ergo Petrus in cæteros Apostolos potestatem & jurisdictionem habuit?

§. 89. Octava est, quòd *Christus post resurrectionem soli Petro primò apparuerit.* At enim si hæc prærogativa Petro primatum jurisdictionis & potestatis in Apostolos reliquos conciliavit, pari ratione colligi potest, Mariæ Magdalenæ in Petrum, aut certè in alias mulieres dominium aliquod competiisse; cùm certum sit, Christum ante Petrum Mariæ Magdalenæ apparuisse. Quanquã & hoc dubium nonnullis est visum, an Christus primò omnium soli Petro inter Apostolos apparuerit; & Maldonato quidem in Matthæi cap. XXVIII. fit verosimile, non Petro soli, sed Johanni simul apparuisse. Probabilius interim est ex Luc. XXIV. & I. Corinth. c. XV. primùm soli Petro inter vivos Christum apparuisse, idq; antiqui etiam Patres agnoscunt; non autem primatum potestatis, sed alias huic rei causas subesse existimârunt. Chrysostomus in I. Cor. XV. homil. 38. scribit: *Quoniam Petrus ipsum negaverat, ex abundantiâ eum consolans, & ostendens eum non esse repulsum, præ cæteris hunc conspectu suo dignatur.*

§. 90. Hactenus eas vidimus prærogativas, quas Becanus dicit præcessisse primatum Petri, seu, quòd signa essent futuri primatûs, seu quòd præviæ dispositiones; seu quòd promissiones ad eundem obtinendum. Quamquam nihil horum fuisse, ex iis, quæ hucusque disseruimus, haud difficulter perspicere est. Quæ supersunt prærogativæ, eas effectus, & quasi exercitia primatûs jam obtenti esse dictitat. Quod ipsum quoque quàm non à vero tantùm, sed etiam specie veri relictum sit, brevibus ostendemus.

§. 91. Nona quippe prærogativa est, quòd *Petrus suâ autoritate vocaverit alios ad electionem novi Apostoli, in locum Judæ proditoris.* Figmentum hoc est Becani, non Scripturæ effatum. Neq; est, cur provocet ad Act. cap. I. ibi enim plura hâc de re non traduntur, quàm, quòd undecim Apostoli post subvectum in cœlos Servatorem reversi Hierosolymam, in precibus & oratione concordes perseveraverint: cùmq; Petrus orationē habuisset de eligendo novo Apostolo, concordibus omnium suffragiis duos fuisse præsentatos, quos inter sors jaceretur. Non autem ibi dicitur, quòd Petrus convocaverit alios ad eligendum Judæ successorem: imò jam antè congregati erant, ut assiduas inter preces effusionem Spiritus Sancti exspectarent. Neque ex eo, quòd Petrus orationem habuit de eligendo novo Apostolo, sequitur, autoritate & jussu Petri duos illos fuisse præsentatos, quos inter sors jaceretur. Unus enim nomine omnium locutus est, tanquam senior collegii Apostolici, & loco ac ordine primus: sed præsentatio duorum & sortitio ipsa communibus facta suffragiis est. Hinc bene Chrysost. homil. III. in cap. I. Actorum. *Jam & illud considera, quàm Petrus agat omnia ex communi discipulorum sententiâ, nihil auctoritate suâ, nihil cum imperio.*

§. 92. Decima est: quòd *Petrus primus promulgaverit Judæis Evangelium, post acceptum Spiritum Sanctum.* Sed vix est, ut thesin hanc adstruat Becanus, & confirmet. Primùm enim certum est, omnes Apostolos Spiritu Sancto impletos *magnifica Dei facta sermonibus & variis linguis celebrasse*, Act. II. Sed eloqui magnifica Dei facta quidnam est, si non promulgare Evangelium? Deinde cùm in admirationem hujus facti raperentur auditores; alii verò ebrios esse

esse Apostolos arbitrarentur: Petrus quidem solus, sed nomine omnium, &, ut putat Chrysostomus, ex cæterorum consensu orationem apologeticam habuit. Ex quo si quidquam, hoc sequitur, Petrum in collegio Apostolico loco & ordine primum fuisse. Ab hâc apologeticâ Petri oratione si discesseris, nullo potest adstrui Scripturæ testimonio, quòd Petrus solus initiò, cæteris intereà feriatis, prædicatione Evangelii totam Judæam impleverit. Quin imò, si vel maximè id feciſſet: numquid inde sequeretur, primatum potestatis ipsi fuisse collatum?

§. 93. Undecima est: quòd *primum miraculum apud Judæos fecerit, in confirmationem Evangelii.* Quidnam id miraculi fuerit, non expressit Becanus: respicit autem dubio procul ad *claudi sanationem*, quæ Petro tribuitur Act. III, 6,7. Sed quo testimonio evincet Becanus, primum id fuisse miraculum, nec antè alia ab aliis quoque Apostolis edita prodigia? *Obortus est*, inquit Lucas, *omnibus metus, multaq; prodigia & signa per Apostolos fiebant.* Hoc refert Lucas Act. II, v. 43. antequam miraculi à Petro patrati ullam mentionem faceret: quidnî ergo alia miracula præcesserint; ut tamen, quod Petrus patravit, memoratum sit ex pluribus tanquam præcipuum? Esto autem, primum fuisse à Petro patratum miraculum: non valet ab eo ad primatum potestatis & jurisdictionis consequentia.

§. 94. Duodecima est: quòd *primus prædicaverit gentibus Evangelium, & quòd ipsi soli sit oblata visio cœlestis de vocatione gentium.* Digitum intendit Becanus ad Act. cap. V. Ubi primùm visio Petro fuit oblata; Deinde ex mandato Dei Petrus domum Cornelii ingressus, ipsi, & multis ibi congregatis gentilibus Evangelium prædicavit. Sed enim

dubium adhuc est, annon, ante etiam, quàm Petrus ad Cornelium fuit ingressus, quibusdam gentilibus prædicatio Evangelii contigerit. Deinde, si vel maximè nemo ante Petrum ullis gentibus prædicasset Evangelium; non tamen ob id Petrus Paulo fuerit præferendus, cùm Petrus intra Cornelii ædes & sic unam tantùm familiam se continuerit; sed Paulus primus cum Barnabâ ad totas gentes missus, regiones plurimas ab Hierosolymâ usque ad Illyricum prædicatione Evangelii conjunxerit, Actor. XIII. & Rom. XV. Neque est, cur ob exhibitam sibi visionem Petrus præferatur Paulo, cùm Paulo plures & maximè illustres visiones contigerint, ut videre est Actor. IX, 3. cap. XVI, 9. cap. XXIII, 11. Imò Paulus *in tertium cœlum raptus ineffabilia audivit*, II. Corinth. XII. Faciamus autem, maximam hanc fuisse prærogativam Petri, tum, quòd Cornelii domesticis tanquam gentilibus primus prædicavit Evangelium; tum, quòd illustri visione eâ de re fuit præmonitus: nulla tamen inde, non dicam verâ sequelâ, sed ne in speciem quidem primatus jurisdictionis & potestatis deduci potest.

§. 95. Ultima Becano prærogativa est: quòd *primus in Concilio Hierosolymitano sententiam dixerit Petrus*. Sed enim non magis hæc prærogativa primatum potestatis arguit, quàm illa, quòd Petrus nomine omnium fuerit locutus. Quemadmodum enim, ubi est sociatum ordine collegium, non omnes loqui decet, sed unum nomine omnium; ita ubi in tali collegio requirenda omnium vota sunt, unum esse necessum est, qui primus sententiam suam aperiat. Neque est, quòd regerat Becanus, Petrum tulisse sententiam definitivam, in quam reliqui omnes utroque pede iverint, & ire obstricti fuerint. Primū enim falsum est; itū

fuisse

fuisse in sententiam Petri, cùm contextus Act. XV. aliud edoceat. Petrus quippe nihil aliud protulit, quàm gentes pariter ac Judæos, per *gratiam* Jesu Christi, non verò per *legem* servari. Idem confirmârunt Barnabas & Paulus, elocuti, quæ inter gentes facta essent prodigia. Omnium horum verba & doctrinam probavit Jacobus; nisi quòd adjecit, scribendum esse ad gentes conversas, ut ab *Idolothytis, fornicatione, suffocato & sanguine abstinerent*. In quam demum sententiam, neque à Petro, neque à Barnabâ & Paulo tactam, communibus itum est suffragiis. Quod si ergo exlatæ sententiæ unanimi comprobatione aliqua nasceretur prærogativa; Jacobo major, quàm Petro adstrueretur; sicut etiam Chrysostomo homil. XXXIII. in cap. XV. Act. scribit: *Post Petrum Paulus loquitur, & nullus os ejus obturat. Jacobo fert, & non resilit; Illi erat principatus concreditus*. Neque verò sequitur, si in sententiam ab uno, & quidem seniore collegii latam, reliqui omnes concordes conspirent & concedant, his refragandi non relictam fuisse potestatem. Quoties enim contingit, ut omnes collegii consortes senioris sui sententiæ adstipulentur; non, quòd cogantur adstipulari, tanquam negatâ sibi dissentiendi libertate, sed, quòd contradicendi rationem prægnantem non habeant? Faciamus itaque, in Petri sententiam unanimi consensu ab omnibus esse itum; non inde sequitur, reliquis resistendi negatam fuisse potestatem. At si hoc inde non sequitur, minimè apparet, quomodo ex illâ prærogativâ, si dicenda est prærogativa, primatus jurisdictionis ullo inferri colore possit.

§. 96. Constat itaque, quas Petri prærogativas Becanus fructus & exercitia primatûs jam obtenti dictitat, eas

 nihil

nihil minùs, quàm hujusmodi fructus & exercitia esse. Neque audiendus est, qui inter vim & robur singularum prærogativarum, & omnium simul sumtarum distinguit; quasi verò quod ex singulis non sequitur, ex omnibus simul sumtis confici possit. Concedimus equidem, unum Majestatis jus non arguere absolutam potestatem & jurisdictionem, nisi omnia hujusmodi jura in unum virum confluxerint. Nihilominus de quolibet Majestatis jure rectè affirmo, quòd sit quædam absolutæ potestatis ac jurisdictionis particula, & quòd ex eo & juribus reliquis tota Majestas, sive summa potestas perficiatur. Idem autem de singulis Petri prærogativis adseri nequit. Ergo neque ex omnibus simul sumtis, primatus potestatis & jurisdictionis inferri potest.

§. 97. Tantum etiam de primatu Petri. Agendum nunc foret de primatu Romani Pontificis: sed quia hic in primatu Petri fundatur, sponte suâ corruit, postquam primatum Petri temerè à Pontificiis effictum esse ostensum est. Quemadmodum enim, quando Christus in his terris non fuit visibile caput ecclesiæ, labascit etiam, quòd in cœlos adscensurus Petrum sui vicarium instituerit: ita quando Petrus non fuit institutus Christi vicarius, ut potestatem & jurisdictionem in omnes Apostolos & ecclesias usurparet; corruit etiam, quòd Romani Pontifices Petro, perpetuâ & nunquam interruptâ serie, in illo potestatis & jurisdictionis primatù, successerint: ut ita hanc jam tum sponte suâ labantem sententiam pluribus convulsum ire, planè sit superfluum.

FINIS.

Ritibus & pompâ jactat se Curia Romæ,
Si pompâ constat relligiosa fides.
O miseram gentem, quantus te fascinat error!
Regni ut Cœlorum sit tibi Papa Caput.
Lux vobis major, priscâ de gente Poloni,
Jam fulget: Christum noscitis esse caput.
Nempe Dei hæc bonitas; hæc celsi munera cœli;
Nôsse viam cœli, juraq; nôsse Dei.
Perfice cœpta, DEUS: plures converte; redona
Luci, quos tenebris devia secta premit.

Ita optimis juvenibus gratatur conjunctam cum eruditione novam veritatis lucem, iisq; à Deo & constantiam & incrementum fidei tumultuario versu precatur

PRÆSES.

Simonides sub Sarmatarum frigore
Ardentis argumenta prodidit ingeni,
Quæ cum stupore lecta sunt quondam mihi;
Dum genua adhuc ævô viverent integra,
Nec displicent relecta sæpius Seni,
Leôpoli profusa; ut alter *Pindarus*,
Et jure possit lacteæ venæ parens
Audire; tanta versibus venus subest:

Nec

Nec negligenda vena *Sarbievii*;
Quamvis catervæ Lojoliticæ comes
Appareat par alteri minùs; tamen
Laudanda virtus est in hoste pessimo.
Horum premit *Gontkowskius* vestigia,
Leopolensis, nec minùs *Malczowskius*,
Chelmensis oræ, stirpe crêtus Nobili;
Ambo *Poloni*, literis & artibus
Ambo expoliti, moribusq; commodis,
Sequuntur æquis ambo ponè passibus,
Sed & magis sanctis amant præcurrere;
Quæ veritatem præferunt falso, & nigris
Lucem tenebris Tartari Papisticis
E queis, relictis porro vanis næniis,
Potenter emersêre, gratiâ DEI unius.
Hi publicum modò in Theatrum prodeunt,
Caputq; pulchrè de cathedrâ proferunt,
Ecclesiæ esse dum *Caput Papam* negant,
Umbône tecti Præsidis Magni; simul
Fidei facem accensam manu veræ gerunt;
Aliisq; lucent, & Sibi ad Cœlum Viam:
Constantiam sed largietur è Cœlis DEUS,
Ut ista spectent ad Supremi Numinis
Porrò perennem gloriam, & verum Decus,
Et ad Salutem candidatorum DEI.
Vos ergo macte tot virtutibus, *Bona*,
Queis augeamini, quibus servemini.

Gratulab. voveb.

PAULUS SPERLING,
S. Theol. D. & P. P. Ordin.
Præpositus Holsaticus.

(o)

vertatur pulvis in terram, unde erat. Eccles.
ia præcisè de corpore, non de animâ
Quamobrem ab antiquissimis tempo-
ndi & humandi obtinuit, cùm in memo-
orum nostrorum, & mox futuræ putre-
spem resurrectionis, sicut terræ commis-
unt. Anima e contrario, si à corpore se-
rit, neque interire potest, sed naturâ im-
a non est ex humô condita, sicut corpus;
ni jam ex terrâ condito inspirata, Gen.
Servator Matth. X, 28. *animam occidi non*
stes loc. cit. vocat *spiritum*, qui corpore
rram reversô, *ad Deum redeat, qui illum*

mâ igitur potissimùm quæritur, qualis sit
ortem; num otiosa sit; an agat quip-
it? Sunt autem facultates ejus duûm ge-
m in operationibus suis adeò prorsus à
s corporeis dependent, ut absque his sit,
anè abesse videantur; ut quinque sensus,
let, appetitus. Et hæ facultates non pos-
quando anima à corpore exsulat. Quo-
ret, absque oculis? quomodo audiret,
Quædam verò in operationibus suis à
is corporeis non dependent, ut intelle-
& hæ potentiæ post mortem remanent,
t; sed quantum in eo statu licet, opera-
unt. Intellectus scilicet intelligit, & co-
antùm sub ratione veri, sed etiam sub ra-
quod eòdem recidit, non tantùm verum